

- 1 TECI TUS Vnuobios Tivotorum Bud.
- 2 statutis de veritatis et pietatis reu necessario Bud.
- 3 Clement. Non nos facere Missa Pontif. Bud.
- 4 de peccatis typicis epudet
- 5 de praerogatione fidelium. V. T. e. epudet
- 6 de postbaptismo epudet
- 7 epudet. de solvaturis exaltatione dolorosa
- 8 - - de scilicet naturali
- 9 - - programma in Doctorate Danzii de tolendo Atrec
- 10 - - - in natalen Iesu Christi
- 11 festi de oratione domesticâ
- 12 Hymni de Evangelio mortuorum annuntiatio, Petri IV. 6
- 13 Paule: ventus Oberlande relig. ex p. belg. gentif.
- 14 Fortis Fuerstii de Exorophy metatio
- 15 Olearii de interno. P. S. Testim:
- 16 Hebenstreit: de praelectratione
- 17 Tob. Majoris in Psalm. CII. 20 et 26
- 18 Steffanii. de Redituatione Diabolici
- 19 Budet: de officio funerarie circa confess. Mf.

S. b 366

Theologie

Q. IV. 285. 679.

S. b 366

Sammelordn. 10

IO. FRANCISCI BVDDEI
SS. THEOL. D. ET P. P.
PRIMITIAE IENENSES
IN QVIBVS EXHIBENTVR
COMMENTATIO AD I. TIM. VI. VERS. XX.
DE FALSO NOMINATA SCIENTIA;
ORATIO
DE VERITATIS ET PIETATIS
NEXV NECESSARIO;
AC DISSERTATIO
DE ORIGINE MISSAE PONTIFICIAE,
SPECIATIM,
QVOD EI NON FAVEANT CLEMENS
ROMANVS ATQVE IRENAEV,
CONTRA VIRVM CLARISSIVM
IO. ERNESTVM GRABIVM.

ANNO 1705.



IO. FRANCICI BADDEI
S. THEOD. O. TR. R.
ERIMATHE-ENGENS
IN QVIAM EXHIBANTIA
COMITATUO D. A. T. M. A. V. AR. XX
DE FALSO NOMINA SCIENTIA
DE ARRITATIS ET PIRATIS
NEXA IN EGYPTO
ACQUISITIONE
DE ORIGINIB[US] M[ON]UMETIS
SPECIALITATI
DOP. E. NON HABENTI
ROMAN. T. G. C. E. MENS
HALLE. (HALLE)
GONTA L. T. K. G. T. B.
IO. ERNSTIUM ET ALI
ANN. 1700



L 57

AIR ILLVSTRI ET EXCELVSTRI

ILLVSTRI ET EXCELVSTRI
VIRO,

IO. BVRCKARDO ROSLERO
SERENISSIMORVM DVCVM SAXONIAE,
QUORVM NOMINE DVCATVS COBURGENSIS AD-
MINISTRATVR CONSILIARIO INTIMO AC
CANCELLARIO, RELIQUA,

PATRONO SVO SVMMOPERE
COLENDO,

S. P. D.

IO. FRANCISCVS BVDDEVVS

VIR ILLVSTRIS ET EXCEL.
LENTISSIME,

TRedecim iam effluxere anni, cum pri-
mum TIBI innotescerem, primumque
humanitatis TVAE singularis & inusita-
ti faoris, quo omnes, qui virtuti & bonaे
menti operantur, complectaris, documentum
caperem. Ex eo vero tempore, TE non tan-
tum semper TVI similem, constantem, corda-
tum, Numinis gloriam, Principisque salutem
reliquis omnibus praferentem, expertus sum;
sed TVVS in me amor, VIR ILLVSTRIS, cum
ipso tempore noua sumere incrementa, visus
est. Cum ex illustri, quod Coburgi floret,
lyceo, Halam, singulari & prouida Numinis
eo vocatus, cura, mihi discedendum esset, ni-
hil

hil mihi tristius videbatur , quam ab illo diuel-
li , cuius ego fidem , benevolentiam , integrita-
tem , tot edoctus eram experimentis . Nec
locorum tamen istud interuallum , aut meum
erga TE amorem , aut TVVM erga me fau-
rem , imminuere potuit . Immo , cum vix ibi
rerum mearum sedem fixissim filium TVVM ,
magnae tum spei adolescentem , nunc in bea-
torum sedibus , sublimioribus quippe ac coe-
lestibus , a Deo consecratum , triumphantem ,
meae concredidisti disciplinae . Ex quo pro-
fecto , quae TVA de me , licet nihil ejusmodi
promerente , esset opinio , intelligere omni-
bus datum erat . Mihi autem nihil gratius aut
optabilius contingere poterat , quam oppor-
tunitatem nancisci , meum erga TE animum ,
meumque significandi affectum . TV , vero , IL-
LVSTRIS VIR , cum maiora longe expectati-
one , in me TVA essent beneficia , nouis ta-
men ea augere accessionibus , praeclarum du-
xisti : subindeque litteris animum de mea salu-
te , sollicitum , prodidisti . Iam pridem forte
Ienae locuissem , si per TE solum stetisset , aut

ego Halensem illam litterarum relinquere sedem, inducere in animum potuisse. Nunc vero pia atque deuota mente consilia Dei, quibus cuncta sapientissime dirigit, veneror. Supremo huic terum humanarum arbitro cum visum eslet, hoc potissimum tempore, ad Ienensem academiam, ut sacras in ea litteras iuuenes edocerem, diuinamque sapientiam interpretarer, me euocare, & TVAM, cum reliquis intercedere operam voluit, ad perficienda ea, quae iam pridem decreuerat. Ita ergo diuinae sapientiae se pandebant recessus, seque velut conspiciebant praebebant: non temere a tot retro annis arctissima, sed sancta & pia amicitia, animos nostros coaluisse, cum eo hoc, dirigente Numine, pertineret, ut aliquando in Ienensi academia latissimus, ad coelestem veritatem atque pietatem iuuenes quam plurimos erudiendi, mihi aperiretur campus. Ex quo, si insigne, quod spero, emolumentum ad ecclesiam euangelicam redundauerit, non est profecto, cur TVAE TE operae, TVI QUE poeniteat laboris, quod quae huc tendunt, grata vti.

¶(o)¶

vtique Numinis & accepta sunt. - Metamen nihilosecius, tum hoc, tum aliis nominibus multis TIBI obstrictum sentio: idque eo magis, quod per tot annos, quibus me TVI participem fecisti fauoris, ne minimum quidem gratierga TE animi edere licuerit monumentum. Arripio itaque merito, quod nunc primo loco se offert, quo non tam nomina expungam, quam ingratianimi a me amoliar suspicionem: & hasce meas Ienenses primitias ILLVSTRI NOMINI TVO sacras deuotasque esse iubeo. Primitiae sunt, secuturorum euidem fructuum, si vires vitamque Deus concesserit, quoddam velut indicium facientes, atque adeo hoc nomine leues tenuesque, haud credo tamen ingratae, cum & novitate sua placere primitiae soleant. Hae vero & quid porro de me expectare debeas, docebunt, cum vel ipso hoc exemplo ostenderim, nihil mihi prius antiquisque esse, quam eleganti, sed solida eruditione imbuere iuuenes, eo tamen cuncta referre, ut pietas sit maneatque puppis atque prora studiorum laborumque omnium. Quae cum & TVA sit sententia, ista quidem, vi-

10.



(0)

rōrumque TVI similiū iudicium mihi suffici-
et; cetera facile contemno. Deum vero rogo
obsecroque, vt TE, VIR ILLVSTRIS ET EXCEL-
LENTISSIME, qui tanto studio ecclesiae quoque
orbisque litterati commoda promoues, nouis
diuinæ benedictionis incrementis, magis ma-
gisq; cumulet, affluentemq; omnibeatitatis ge-
nere, interesse, in bonorum omnium praesidi-
um, rebus mortalium quam diutissime velit.
Vale. lenae die XXV, Iulii. MDCCV.

Q. D. B. V.

DISSERTATIONE PRAELIMINARI

ΠΕΡΙΤΗΣΓΝΩΣΕΩΣ

Π Σ Ε Υ Δ Ω Ν Υ Μ Ο Υ

EX I. TIM. VI. VERS. XX.

A.D.

ORATIONEM

*QVA
PROVINCIAM DOCENDI THEOLOGIAM*

**A SERENISSIMIS ACADEMIAE IENENSIS
NVTRITORIBVS**

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATAM
RITE SVSCPIET

OMNES LITTERARVM FAVTORES ATQVE CVLTO-
RES EA QVA DECET HUMANITATE
INVITAT

IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS.

ANNO 1705.

PERINUS
CENSITATI
MAGISTER
ORATIONIS
CLERICIS
NATURAE
OMNIS LITTERARVM LITERARVM ALIAS CANTO
RIS ET QVA DECET HUMANITATI
INITIA
MODERNIS LIBRARIS BIBLIOTECAS



Q. D. B. V.

EST virtutis ac pietatis pars haud postrema, di-
vini Numinis obtemperare voluntati, nutum-
que & auspicia eius sequi, cuius consilio res o-
mnes mortalium quam sapientissime dirigun-
tur. Hoc ergo & mihi faciendum existimauit, cum con-
cordibus suffragiis a SERENISSIMIS academiae hu-
ijs NVTITORIBVS, DOMINIS MEIS LONGE CLE-
MENTISSIMIS, ad docendam in hac bonarum ar-
tium sede, diuinam sapientiam, quam theologiam ad-
pellant, euocarer. Obuersabantur multa animo,
quae Numinis nutum voluntatemque significabant
haud obscure, praeferendamque aliis eam academi-
am suadebant, quae magni principis, constantia & pi-
etate maximis etiam, quos vñquam orbis christianus
vidit, comparandi, si non anteponendi, ceu condito-
ris sui memoriam conseruavit hactenus, & ad no-
stram vsque aetatem propagauit. Solent piorum in
longe ventura saepius vim suam proferre secula, pre-
ces, habetque haud ingrata posteritas, si modo sua
commoda non negligat, quod virorum pietate & in-
nocentia praestantium suspirii, quibus dum vixerunt,
Deum sibi, aliisque, propitium reddere allaborarunt,
imputer. Hisce aliisque ad sequendum, quorsum Nu-
minis prouida ducebatur, animum stimulantibus,

& permouentibus, hoc saltem anxium sollicitumque tenebat, qua demum demandatam ornare prouinciam, ratione, & tam augusti, quod subeundum esset muneric, rite explere partes possem. Erudire alios ad veritatem, pietatisque praevire exemplum, quod munus illorum est, qui sacrarum litterarum, diuinaeque sapientiae interpretes in academiis audiunt, res non ardua minus & difficilis, quam multorum iudiciis atque censuris exposita. Nihil ergo meis hic viribus tribuendum, diuinae contra cuncta danda gratiae, facile intellexi, per quam, modo duci per eam nos patiamur, etiam efficere ea, quae posita sunt supra speinque votaque mortalium, possumus. Hac fretus, in istud veri theologi exemplar atque imaginem, quam in Timotheo suo nobis exhibet magnus ille orbis vniuersi doctor Paulus, intueri accuratius, ut ad illam ceu normam & regulam, vitam moresque componerem, & exigere, mecum constitui. Hoc dum ago, dumque in eo torus sum, altius veluti intimos cordis mei recessus penetrant, oculosque & animum fistunt, ea verba, quibus magnum quid & grave, quod animo insidebat exprimere, & amorem omnem effundere erga Timotheum suum videtur. O! Timothee, depositum serua, abhorrens a profanarum vocum vanitate, & dissidiis eius, quae falso nominatur scientia. * Id vero & mihi praecipua quadam ratione dictum purauit, qui ea aetate diuinam mortalibus tradere sapientiam adgredior, qua inter reliqua, quibuscum ecclesia nostra conflictatur, mala, ψευδῶνυμος eminet

γνῶσις,

* I. Tim. VI, 20.

25

γνῶσις, qua subinde inscholis, in academiis, aguntur
in transuorsum, qui docentium munere funguntur.
Falso nominata scientiam dum apostolus com-
memorat, & deuitare maximo studio iubet, eam de-
signat, quae scientiae & cognitionis titulum perpe-
ram sibi vindicat, eoque nihilosecius se effert, iactat,
atque passim celebrari cupit, licet eodem plane sit in-
digna. Non ergo omnem scientiam atque γνῶσην da-
mnat aut fugere iubet, sed saltem ψευδάνυμον. Namque
ceteroquin scientiam ceu adprime necessariam, tum
christianis quidem omnibus, tum maxime doctori-
bus, ipse apostolus Paulus passim commendat, cele-
bratque. Romanos hoc nomine laudat, quod refer-
ti sunt omnī cognitione (πεπληρωμένοι πάντοις γνώσεως) ut
alius alium commonefacere poscit: (*) & beneficio-
rum, quibus Corinthios cumulauit Deus, magnitu-
dinem in memoriam reuocans, Deo, quod omnibus
rebus, oratione quoque omni & scientia, εἰ παντὶ λόγῳ
καὶ πάσῃ γνώσῃ) ditati essent, gratias agit. (**) Ephē-
siis spiritum sapientiae & patefactionis adprecatur, vt
(εἰ ἐπιγνώσει) in cognitione Dei proficerent; (***) & in-
ter vota, quae pro Philippensibus suis nuncupat, haud
volum omnino est, vt excellant magis magisque
caritate, in omni cognitione & perspicientia. (εἰ ἐπι-
γνώσει καὶ πάσῃ αἰδήσει) (****) Se ipsum vero dum vel-
ut in doctoris perfecti & consummati imaginem fisset,
qui tolerantiae, patientiae, sobrietatis, castitatis, alia-
rumque virtutum exemplum praeiuerit aliis, vigili-
is, ieconiisque scientiam, etiam addit. (*****). Et quid

A 3 opus

(*) Rom. XV. 14. (**) I. Cor. I. 5. (***) Eph. I. 17. (****) Phil. I. 9.

(*****) II. Cor. VI. 6.

opus est testimonii, in re clara & perspicua, & de qua
 nemo dubitat? Episcopum instruens formansque, non
 modo ut sobrius, frugi, modestus, hospitalis, sed & ut
~~doctorem~~ seu ad docendū aptus sit, requirit. (*) Docere
 autē alios qui possit, qui non ipse, quae doceat, didice-
 rit, rerumq; diuinarum rudis sit, atque ignarus. Collu-
 stratum nimurum coelesti luce a spiritu sancto esse o-
 portet, qui lucem praeterre aliis, viamque monstrare
 cupit, ne caligine tehebrisque, quas prava, quam
 a parentibus hausimus, secum trahit indoles, obcoe-
 catus, & alios quos ducere cupit, seque ipsum det in
 praecipitia. Hoc vero ut cum omnibus quichristia-
 ni non vocantur modo, sed & sunt, doctoribus quo-
 dammodo commune est, ita hos multum reliquos sci-
 entia & cognitione antecellere necesse est, etiam ea,
 quae humana industria, praestantisque ingenii viri-
 bus, comparatur, si dignos se tam augusto munere, no-
 mineque, quod gerunt, praefastare cupiunt. Veteres
 itaque, cordatisimi mortalium, cum ex virtutibus
 moribusque sanctis & innocentibus magis quam ex
 oratione aut scientia, doctores & episcopos metiren-
 tur, non tamen contemnebant scientiam, eaque or-
 natos cupiebant vel maxime, qui erudire alios vel-
 lent. Immo & isti hoc sibi datum crediderunt, qui ho-
 minum relictis commerciis, solitarium vitae genus
 consecabantur. Horum namque licet haec praeci-
 pua cura erat, perdomare prauos affectus, vitiisque
 indicere bellum, carnemque & corpusieiuniis, duri-
 orique, & aspero vitae genere, subigere, ut spiritu su-

* I. Tim. III. 2.

um

um in illam constaret imperium; earum tamen omnino quoque coniungebant litterarum studia, quae aere pietatem, fouere virtutem, vitaeque & morum conseruare innocentiam apta erant, (*) Infectis autem seculi labi plerorumque animis, & ruente in deteriora christiano orbe, remansit tamen qualiscunque pristini moris umbra, ut scientia & eruditione, saltem ea, quae qualicunque dogmatum placitorumque religione christianae priorum, notitia, absoluuntur, instrutos Romani quoque Praesules illos, vellent, qui antistitum & episcoporum nomine, sacra curaturi, aliis praeficiebantur. (**)

Cum ergo non quamcunque, sed *γεννητικον* saltem *γνωστην* fugere, monente apostolo Timotheus debeat, quam ille significet intelligemus facile, si quae titulum nomenque verae scientiae promereatur, cognitio, consideremus. Nec nos ignorare hoc ipse apostolus sinit, cum eam, quam omnes consecrari debent, doctrinam pietatis, seu *διδασκαλιαν κατ' ενοτεσσιαν* vocat, (*) & alibi *επιγνωσιν διληθεας της κατ' ενοτεσσιαν*. (**) Quo ipso certis velut signis ac characteribus eam quae nomen, quo venit, tueri possit, scientiam, a falsa ista discernit; cum & veritas illi constare, simulque ad vitae puritatem, pietatemque comparata esse debeat. Fingimenta namque & errores adeo scientiae nomine non facile quis sibi obrudi patietur, ut communi omnes,

(*) conf. Ioannes Mabillonius de *studio monasticis*, part. I. cap. II.

& III. (**) Prolixius hoc edidisset Claudio Espencaus, *digressionum in priorem epist. ad Timoth.* lib. III. c. LX.

(*) I. Tim. VI, 3. (**) Tit. I, 1.

qui non desipiunt prorsus, ab iis consensu abhorrent, semperque veritatis speciem induant, quae errantium mentes subeunt commenta.³ Nec alium quam infernalem genium agnoscent in rebus diuinis errores auctorem atque parentem, cum a Deo, veritatis fonte, nihil nisi rectum verumque proficisci queat: Deus vero, cum hominum vniice, ista quam in diuinis litteris nobis impertivit, veritate, consultum cuperat saluti, haec vero obtineri alio ordine rationeque non queat, quam purgato a prauis affectibus corde, eoque ad Numinis amorem cultumque composito, ecquis est, qui dubiter, tendere ad pietatem, salutarem istam, quam christiani profitentur, doctrinam? Apostoli exemplum secuti ecclesiae veteris doctores, veritate, quae ad pietatem comparata sit, γνῶσην illam circumscribunt, quae christianaem demum disciplinae alumnos deceat. Quos inter CLEMENS ille ALEXANDRINVS eminet, qui in discernenda recta a praua scientia, omne studium omnemque collocauit laborem. Namque ut in compendium cuncta mittat (*³) tria verae γνῶσεως capita constituit, primo quidem, res nosse, deinde, efficere quod verbum seu ratio distauerit, & denique, quae occulta fuerant apud veritatem, prout Dei maiestati conuenit, tradere posse. Res autem nosse, id quidem est veritatem perspectam exploratamque habere, vt de Numinis rebusque di-

ui.

(*) Stromatum lib. VII. p. m. 701. Verba eius ita se habent: οὐδὲ μοι παταρίανται τοῖς εἶναι τῆς γνῶσιῆς δύναμεως αἰτογέλεσμάτα, τὸ γνώσκειν τὰ πρόσυματα; δεύτερον τὸ ἐπιθελεῖν ὅ τι ἄν οἱ λόγοι ὑπαγοῦσιν; οὐδὲ τοῖς παραδιδόνται δύνασθαι θερπεπῶς, τὰ παῖδα τῇ σιληθείᾳ ἐπικεκυρώνενται.

uinis omnibus pariter ac humanis, ita sentiamus, pro-
ut diuinae nos sentire iubent litterae. Ex his enim so-
lis (*) omnis illa veritatis haurienda cognitio, reliquis
omnibus doctrinae fontibus, quocunque etiam nomi-
ne veniant, quantacunque sapientiae inde deriuandae
specie hominibus ad blandiantur, procul remoris, pro-
culque faceffere iussis. Ista vero nunc cognitio, sci-
entiaque, ad virtutem pietatemque referenda, quae pro-
fecto aliter sibi non constat, quam si Numinis volunta-
ti per filium in sacra scriptura patefactae, obtemperem-
us, moremque geramus, quam iubentissime. (**)
Cuius obsequii, amoris, pietatisque, non aliud ite-
rum fructus esse potest, quam ut alios quoque ad
tantae felicitatis perducamus societatem, eosque iri-
dem ad summam, quam mortalibus Deus destinauit,
felicitatem, erudiamus.

Ea contra scientia, quae perperam hoc nomine

B

su-

(*) Non diffidente ipsomet Clemente, cuius ceteroquin hac de
re libertius dicta, ad hanc eandem normam reuocanda sunt.
Dixerat loco cit. pag. 700. a filio discendum esse eam, quae o-
mnia superat, causam, nempe patrem vniuersorum (*τὸν οὐρανόν τὸν ἀληθινόν*). Et sane filius est, qui nos voluntatem patris
condocuit *Ioh. I. 18*. Quem rursus ex prophetis atque scriptu-
ra sacra cognosci, p. 702. Clemens assertit: *Dei autem esse fili-
um, & cum esse seruatorem & dominum, quem nos dicimus σω-
τηρις αἱ δέσμαι ταξιδιώσοι προφῆται, aperte diuinæ ostendunt
proprietate: ut alia, quibus idem demonstrati possit, nunc ta-
ccem.* (**). Eodem redunt, quae Clemens dicit: *Dei ergo cultus
(δεεπτίας τὸν Θεὸν) est continua animæ cura ei, qui est praedictus
cognitione (τῷ γνωστικῷ) & eius perpetua in Deo occupatio per
charitatem, quae nunquam intermititur l. c. p. 700. Sed legi
quoque sequentia merentur.*

superbit, pro lunone nubem, pro corpore umbram,
pro veritate errorem atque figmentum amplectitur.
Ut adeo omnes illi, quocunque nomine veniant, qua-
cunque aetate vixerint, qui a veritatis aberrauere tra-
mite, aut ea cogitarunt vel docuerunt, quae verbo di-
uino consentanea non sunt, hic intelligendi veniant.
Nec isti modo, sed & reliqui, qui mente forte & cogita-
tione, assequuntur, quae in diuinis litteris tradita
sunt, sed tamen ea, quae vtcunque comprehendenterunt,
non ad pietatem, morumque & vitae emendationem,
sed ad ingenii ostentationem, aut foediores adhuc cu-
piditates, quibus agitantur, vel souendas, vel explen-
das referunt. Quos omnes et si apostolus hoc effato
feriat, & ad meliorem reuocet mentem, nullum tamen
est dubium, quin specialiori ratione quosdam desi-
gnet, qui ea aetate hoc morbo laborarunt, eoque in-
ficere alios potuerunt, quos vt fugeret & evitaret, mo-
nere Timotheum suum, necesse habuit. Nec de-
sunt, qui ipsos Gnosticos velut atro quodam lapillo no-
taricondunt, (*) suffragante quidem ipsa voce, a
qua

(*) Faciunt hoc Chrysostomus, sed trepide, Camerarius, Anto-
nius Fayus, Hugo Grotius, Henricus Hammondus, laudati
Iacobo Thomasio in schediastmate historico de definitione philoso-
phiae, qua dicitur γνῶστις τὸν ὄντα, &c. S. XXXII, p. m. 19. seqq.
Cum primis hoc magno conatu agit Henricus Hammondus, non
tantum in dissertatione proemiali, praemissa dissertationibus qua-
tuor de iure Episcopatus iacobo Thomasio, i.e. aliis, hoc nomi-
ne commemorata, sed & in annotationibus in N.T. quas cu*e* eius pa-
raphrasi, ex Anglica lingua in latinā translatis & an. MDC XCIII
Amstelodami edidit, Ioannes Clericus. Mente suam ita ex-
plicat Hammondus, ut dubium non sit, eum generatim Gno-
sticorum vocem pro somni Simoniana prosapia sumere. In du-
biis

qua nomen fortium est id hominum genus. Foedi errores, nec melior vita, sub splendido γνῶσεως nomine in s̄enam prod̄entes, dignos istos reddebat, qui a quo quis castigarentur, immo indignos isto, quo te effe-rebant nomine, vt iure meritoque ψευδώνυμοι illorum, quam iactabant, scientia, dici potuerit. Dogmata enim illorum fabulosissimis, vt Hipponeſium prae-ful, Avgvſtinvs (*) loquitur, plena fīgmentis, veri-tatem in scholis horū hominū, nullam inuenisse fedem, demonſtrabant luculenter: nec pietatis vllam habuisse istos rationem, scortationes, stupra, incestus & cun-cta impuritatum genera, a grauissimis illis exprobata auctoribus, satis superque ostendebant. Accedebat illa ἀγνῶστη boni malique Dei (**) a gentilium philoso-

B 2

phis

bium; inquit, in adnot. ad I. Tim. VI, 20. reuocari nequit, v-trum falſo diſta cognitio, respiciat ad haeretica Gnoſticorum do-gmata, quod & alibi multis ostendimus, vid. not at. ad II. Petr. I. 5. Conſtat enim primum eorum conditorem fuſſe Simonem Ma-gnum, ex Ireneo & aliis veterum. Quod an ſatis conſiderauerint, qui haſtent contra Hammonduſ disputarunt, dubito. Ioannes Clericus itidem in adnot. ad b. l. refellit ſententiam Ham-mondi, vtpote incertam, cum nondum euictum ſit, exiit ille ea aetate quibus Gnoſticorum nomen proprium fuerit. Exiſti-mat itaque Gnoſticos Apoſtolicorum tempore fuſſe Iudeos aut na-talibus aut regione, quieo, quod verſarentur inter Graecos, mul-ta ex illorum philoſophia, admifuerant Iudaicae theologiae, at-que ex illa hybrida doctrina ſcripturam & religionem interpreta-bantur. Clarius deinde mente explicat, Ψευδώνυμοι γνῶſe-ως nomine myſticas & allegoricas ſcripturae interpretationes, ab apōſtolo deſignari, innuens. Sed hoc aequē incertum eſt ac prius. Locus autem Barnabae, quem afferit, nihil ad rem facit.

(*) de haeretib⁹ cap. VI. (**) Auguſtinus b. c.

phis accepta, & vel ipso verbo hic significata ab apostolo. Sed temporum obstant impeditae rationes; & non satis constans sibi consentiensque veterum de Gnosticorum, qua placita, qua nomen, origine, sententia, quo minus statim id admittamus, quod illi asserunt, vetat. (*) Quod cum animaduerterent a-

lii,

(*) Nimirum non una est de Gnosticorum origine sententia. Namque a Simone eos deriuat Epiphanius, *haeres. XXI.* a Menandro Irenaeus *lib. III. cap. IX.* Augustinus, nonnullos eos a Nicolaitis, alios a Carpocrate accessisse, auctor est, *de haeres. cap. VI.* Alii aliter opinantur. Possunt tamen istae quedammodo inter se conciliari sententias, si obseruemus, Gnosticorum nomine nonnullos generationi vti, pro omnibus haereticis, qui ex schola Simonis magi, eiusque discipulorum prodierunt, ut diserte Theodoretus facit *hom. XVIII. in I. Tim. VI. opp. f. 531.* obseruante etiam Iacobo Thomasio *l. c. S. XXX. lib. X.* nonnullos certam, sectam, ut Nicolairas, Basilidianos, Carpocratianos, Valentianos, & reliquos hoc nomine designare. Rufus cum quidam, nullos alios Gnosticos, praeter eos, qui a sectae conditore nomen sortiti sunt, admittant, alii distinctam a Nicolaitis, Basilidianis, ceterisque omnibus & peculiarem sectam constituant, que hoc sibi nomen vindicet. Quia in sententia Augustinus, Epiphanius & alii versantur. Iam si Gnosticorum nomen pro tota Simoniana familia, aut eiusmodi secta, que Apostolorum tempora attigit, capiatur, temporum convenientia rationes. Supererit dubium, an Gnosticorum adpellatio, iam eo tempore visitata fuerit. Potuerunt enim esse, qui eadem docerent, quae Gnosticis tribuuntur, licet nomen nondum ortum esset. Et potuit quoque γνῶτεως nomen usurpare apostolus, saltam cognitionem designaturus, licet certe illud non haeret sectae. Sunt qui in Barnabae epistola, quam post alias Stephanus le Moigne, & Ioannes Baptista Cotelerius, ille in variis sacris, hic in scriptis parum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, opera & studio Ioannis Clerici

ci

lii, Nicolaitas suos obtrudere conati sunt, (*) quorum cum & alibi scriptura sacra notet flagitia, ut apostolorum, saltem Ioannis, iam eos extitisse aetate, dubio careat, haud vero absimile putant, damnari & a Paullo illorum ψευδώνυμον γνῶσιν. Veritatis utique pietatisque expertes fuere impurissimi homines: indeque utroque nomine, quam prae se tulerunt, cognitio, quemadmodum & stultissimi improbissimiq; homines sapientes sibi videntur, ψευδώνυμος iure pronuntiari potuit. Eos nec ab idolothysis, nec a fornicatione abhorruisse, ex ipsa scriptura sacra haud obscure colligas: huic tamen impietati grauiissimos eos addidisse errores, veteribus

B 3

di
ci anno M DCC recusis, ediderunt, vestigia Gnosticorum se offendisse, arbitrantur. Totus sane in eo, ut varia huius epistola loca ad Gnosticos trahat, est Hammonius, cui addipulatur Stephanus le Moyne in Not. ad varia sacra p. 600. Sed posse, quae Barnabas de γνῶστε dicit, ita capi, ut ad Gnosticos respeccisse credendus non sit, iam alii recte obseruatum est. (*) Ita Theophylactus comment. ad b. l. hoc de iis Gnosticiis, qui a Nicolao originem trahunt, interpretatur. Nec procul hinc abit Christophorus Christopori Sandius in Nucleo Histor. Ecclesi. p. m. 60, ubi addit: Gnosticorum nomen omnibus olim christianis fuisse commune, idque cum sibi etiam viaducauerint haereticos, eo etiam a patribus non nimis nominum curiosis, illos fuisse insignitos. Sed rectiora aliunde constant. Ignatius in epistola ad Trallianos Tom. II. editionis Coelerii p. m. 69. Nicolaitas ψευδώνυμος vocat: Φάνυσε, inquit, καὶ αὐτὸς Νικόλαῖτας, τοῦ ψευδώνυμος &c. sed alio sensu. In veteri namque versio- ne p. m. 128. additum: Non enim talis fuit apostolorum minister Nicolaius. Quod ipso edocemur, eos non diacono illo, cuius in scri- ptura sacra celebratur nomen, sed ab alio quoddam Nicolao, sc̄e- clas conditore, nomen fortitos fuisse.

diserte id afferentibus, facile crediderim. Fauet enim sibi libido & improbitas, & ingenio pollet, ad quidlibet comminiscendum, vt honestatis sibi induat speciem, & semel cum sibi indulgere incipit homo, non facile vbi consistat, reperit, nec tam quid a ratione alienum est, quod non admittat, modo hoc sibi, rebusque suis conueniens arbitretur. Et haec quidem omnia licet ita se habeant, speciatim tamen ad eos verba apostoli pertinere, nondum persuadent. Necenim causa praesto est, quae euincat, ad eos praecipua quadam ratione hoceffatum apostoli referendum, cum & alii eo tempore fuerint, qui & errorum stultitia, & vitae foeditate, turpitudineque morum certare potuerint cum Nicolaitis. Non multum profecto referre, puto, si vel maxime, quos omnino designet vir diuinus, ignoremus, modo id annitatur, omnique elaboremus opera, ne similes iis simus, quos designat. Generatim ad Simonis asseclas, licet nominibus forte & placitis quibusdam diuersos, haec referre verba, nihil prohibet. Non enim tam homo fraudulentus errores quosdam, quam errorum monstra inuexit, improbitatis simul omnis summus magister & artifex: dignusque qui ἀνθεποίεις αἰματίας νοσίας απωλείας audit, (*) licet alium, Simonianas quondam artes, cum orbis vniuersi stupore, in scenam reuocaturum, aposto-

(*) II. Thes. 11. 3. seqq. vbi Hugo Grotius quidem Caïum Caligulam Imperatorem, Henricus Hammondus autem, Simonem magum, intelligit. As ut Grotium Abrahamus Calouinus, ita Hammondus, castigavit, Ioannes Clericus, vterque ad h. l. huius tamen, Simonem Giorae filium, hic designari, non melior est sententia.

stolus hoc nomine innuat. Nihil intactum in sacra,
 qua ad salutem homines erudiuntur, doctrina, reliquit
 profana mens, quod non, si fide antiquorum standum
 scriptorum, pollueret & foede conspurcaret. Semet-
 ipsum enim pro Dei filio venditauit, qui ut filius adpa-
 ruerit in Iudea, in Samaria ut pater descenderit, in a-
 lis autem gentibus spiritus sancti nomine tituloque
 venerit. De Helena autem sua seu Selene, matre o-
 mnium, & ex qua angelosque archangelosque genu-
 rit, quid non commentus est, impostor turpissimus?
 Ab angelis vero mundum creatum docuit, ut huius
 quoque facti gloria Deo eriperetur: quemadmodum
 & nativitatem mortemque Christi eum negare opor-
 tebat, ut se in eius locum substitueret. Namq; qui creati
 mundi gloriam Deo patri denegabat, redempti quo-
 que hominum generis laudem eripere filio, sibique as-
 ferere, non poterat sibi ducere religioni. Nam ut re-
 liqua sacri aedificii, quo vera religio continetur, fun-
 damenta concureret, euerteret, labefactaret, & im-
 puritati quoque omni & libidini habendas laxaret, mor-
 tuos resurgere inficiatus est, honestiq; & inhone sti-
 blato discrimine, omnes eos, qui in ipsu*eiusq;* Helenam
 spem suam fiduciamque collocauerint, facultate qua-
 cunque placuerint, agendi, praeditos, liberosque a
 legis cuiuscunque imperio, pronunciauit: nec ido-
 lolatriam modo in licitis posuit, si forte mortis pericu-
 lum immineat, verum etiam promiscuum seminarum
 usum, omniumque seculorum ac flagitorum licentiam,
 suis concessit. Quac & reliqua, vti ex THEODORETO, (*)

(*) lib. 1. baaret, fab. cap. I.

EPIPHANIO, (*) AVGUSTINO, (**) TERTULLIANO (***)
 aliisque constant: ita sequentibus quoque nouarum
 haeretis inuentoribus, fundati velut amplissimum fer-
 tilissimumque praebuerunt, ex quo noua in dies com-
 menia, reuera eadem, ait specie, forma, nominibus,
 diuersa, producerent disseminarentq; Ut adeo Simon
 hicce alius quidem αἰσθατὸς ἀληθῆς, (****) aliis πάσῃς
 αἰσθατοῖς εὐρήκε, (*****) IRENAEO (*****); autem, fons &
 radix haereticorum, iure meritoque audiat.

Cuncta vero eo comparata sunt, ut ψευδώνυμον ho-
 minis γνῶσιν satis arguant. Scientiam namq; seu γνῶσιν o-
 mnino sibi tribuebat homo ambitione turgidus & vel-
 ut lymphatus, eiusque vanas specie ita imponebat aliis,
 vt non tantum plurimos adipisceretur sectatores, sed
 hi ipsi cum γνῶσεως opinione, nomen quoque ipsum
 Gnosticorum, proprium libi facerent. Nihil tamen
 aequa ad Simonis scholam velut digitum indentere a-
 postolum, euincit, ac ἀποδιοτε, illae ψευδώνυμος γνῶσεως ac
 βέβηλος νέος Παύλος, quarum hic meminir. Nec enim mihi
 dubium videtur, quin mali istius bonique principii op-
 positionem, quae Simonianae doctrinae haud ultimam
 partem faciebat, hic redarguat. Hanc enim Simon sen-
 tentiam a Zoroastre, Persarum philosopho, vt ferunt,
 (******) inuentam, a reliquis gentilium subinde phi-

losos.
 (*) haeresi XXXI. (**) de haereticis cap. I. (***), praescript. adu. haeres p. m.
 178. (****), Eusebius H. E. lib. I. c. XIII. (****), Cyrillos Hierosolymitanus catech VI. (****), lib. I. c. XIX. (*****). Ita quidem ple-
 rigo ex viris doctis, harumq; rerum peritis, sentiant. Ait Thomas
 Hyde, vir doctissimus, hanc fuisse veterū Persarum mentem, quae
 vulgo illis tribuitur, negat. Eos namque unicum tantum boni

principia

Iosophis adprobata, fouendis alendisque mortalium
vitiis, peropportunam, arripuit, & non modo ad quos-
dam Gnosticorum, sed & ad Marcionitas, ac Manichae-
os propagauit, atque transmisit. Non nego, pugna-
se & inter se Gnosticos quandoque, ac in diuersas abiis-
se sententias, quas illorum *aviliteris* hic notari, nou-

C

nulli

principium, aeternum, Deum videlicet, ipsorum lingua *Nzad*
seu *Izad*, itemque *Nzdan*, immo *alionomine Ormuzd*, un-
de Graecorum *Διονύσος*, admisso. Posuisse equidem eos &
aliud mali principium, ast creatum, *Ahariman*, seu *Ahriman*,
vnde Graecorum *Ἄρειος*, adpellatum. Addit, aliquando
Dei nomine, & principium quoddam boni creatum apud eos
venire, cui principium mali creatum opponatur, sed ut ab utro-
que principium boni increatum, atque supremum, discernatur.
Nec tamen difficitur, fuisse quosdam ex Indo-Persis, qui prin-
cipium mali, seu diabolicum a se ipso processiss h. e. aeternum
fuisse, & malos angelos sibi creasse, asseruerint. Sed, inquit,
*haeredita est haec opinio, ea que ignorantium quorundam bomi-
num, qui peculiariter vocantur Thanaia h. e. dualistae, seu do-
mini duorum, scilicet assertores seu autores duorum principio-
rum &c. de religione Persarum cap. IX. add. cap. XXI.* Ego fa-
cile crediderim, Mosaicam istam veramque patriarcharum do-
ctrinam, de angelis bonis ac malis, huic Persarum errori
occasionem praebuisse, quem siue omnes, siue quidam admi-
serint, nobis perinde est. Zoroastri equidem, aliisque magis, haec
de duplice principio aeterno, sententia, vulgo a Graecis tri-
buitur; quibus forte minus, quam domesticis scriptoribus, cre-
dendum, contendunt, qui veteres Persas excusant. Praeter
Plutarchum libro de Iside & Osiride, Diogenem Laertium, a-
liosque, legi hac de re potest Thomas Stanleius *Hist. philos. ori-
ent.* lib. II. cap. VI. A Persis istis dualistis ad alias gentes eadem
opinio fluxit, immo & ad Graecos penetravit, quorum pra-
stantissimos hoc errore infectos fuisse philosophos, constat,

quem

nulli contendunt. (*) Nec oppositos verae doctrinæ hos errores, *άντιοι των* nomine venire posse, abnuo. (**) Vtrumque autem, vt cum reliquis haereticis communione Simonianis fuit, ita proprium aliquod & peculiare, quo velut charactere, quos deuitare Timotheus debebat, significaret, innuit hic, nisi me omnia fallunt, gentium doctor. Quid vero aliud, quam istud, quo christiano pariter nomine, ac sapientiae opinione, superbiens, tantoque cauenda diligentius, Simoniana cohors, a reliquis, eiusdem quidem commatis, discernebatur omnibus? Prorsus etiam quadrant *βεβηλοι και νεοφωνιας*. Vocabulis enim mirificis, barbarisque, ac peregrinis, Simoniana, ut EPIPHANIVS auctor est (***) resonabat schola, idq; magorum more, (****) ne magistri dediscerent disciplinam, quibus, vocabulis ad lumen fidis, aut ad metum terroremque aliis in cunctendum excogitatis, nescio quam tribuere vim, solenne fuit. Erant tamen profecto *και νεοφωνιας*, inanes voces, vi omni ac efficacia destitutae, immo erant *βεβηλοι*, cum summa, vti patet, impietate coniunctae. Nec er-

rat,
quem deinceps resuscitarunt Manichaei. Ut adeo mirum non sit, & Simonem Magum sententiam per orientem tam late diffusinatam, assunisse.

(*) Hugo Grotius ad I. Tim. VI, 20. & I. 4. (**) Ita Gerhardus, Estius, aliique censem, conf. Abrahamus Calouius ad b. l.

(***) Immo haud obscuræ haec verba apostoli ad Gnosticos, qui talia a Simone suo acceperant, trahit sub initium *haeres. XXVI.* Sunt autem plurimi, qui Simonianorum *και νεοφωνιας* hic atro no-

tari lapillo contendunt, vid. Claudius Espenacetus ad b. l. 301-302.

(****) Iuxta illud in oraculis Zoroastris: δόματα βέβηλα μη-

ποιησιλλάσης, εἴ γαρ οὐ πατεῖται παρέπατοις θεοσδότα, δύνα-

rat, si quis *neophytes* dixerit, (*) cum & nouitas ista profanarum magicarumque vocum, mentis sententiaeque apostoli egregie conueniat. Ita vero omnino est, fuerunt omni tempore, eruntque semper, quamdiu homines erunt, quibus *ψυχανύμον*, merito exprobres γνῶσης. Et quemadmodum HIERONYMUS, dum se dolere, ait, (**) vicē illorum, qui falsi nominis scientia supplantantur, tum reliquos, quos vocat ecclesiae hostes haereticosque, tum eos maxime, quibuscum eo tempore ipsi conflictandum erat, Heluidium, Iouinianum, ceteros, intelligit: ita nullum tam sterile extitit seculum, quod non *ψυχανύζει* huius γνώσεως exempla dederit, quamplurima. Ecclesiae hoc testantur annales, & haereticorum tot nomina, ut vel integri iis capiens vix sufficient libri. Ipso iam apostolorum, ut diximus, aeuo, Simoniana ecclesiam afflixit pestis. Hanc secundo seculo Gnosticorum excepit turba. Tertio, Nouatianorum rigor, & quarto furor Arrianorum ecclesiam vexavit. Hinc secutus est cum Eutychē Nestorius, eterque cum sectatoribus suis, quinto sextoque seculo orbi christiano grauis. Monothelitae ex Eutychianis prognati, proruperunt seculo septimo,

C 2

cuncta-

μην ἐν τελεῖ αἱ ἀρέται θύγοτε. Nomina barbara nuncquam mutaueris: sunt enim nomina apud singulos a Deo data, vim in sacris arcanam habentia. vid. oracula Zoroastris, Stanleii historiae philos. orient. addita libr. IV. p. m. 399. (*) Vulgatus interpres, profanas vocum nouitates vertens, *neophytes* legisse videtur, cui & nonnulli ex veteribus adstipulantur: ast graeci codices constanter *neophytes* legunt: atque ita legisse ac exposuisse Theophylactum, atque Occumenium, confitat.

(**) dialog. aduersus Pelagium T. III. opp. fol. 118. add. B. Iacobus Thomasius l. c. p. 22.

cunctaque turbarunt misere, quo tempore & nouis im-
postor alterque Simon, Muhammed ille, in humanigen-
neris perniciem lucem videntur. Mox grauius malum
orbis incubabit, orumque media in ecclesia illud tene-
brarum & superstitionis regnum est, quod suos vnde-
que diffudit limites, ut pauca lucis & veritatis hinc in-
de apparerent vestigia: mutataque ita rerum omnium
facies est, ut haeresis esset, si quis veritatem profiteretur,
ne sine impietatis suspicione, mortalibus liceret esse
piis. Nihil ad Simonianum scelus deerat, siue mores
speces, que doctrinam. Nec semei Simonianae artes
Romanis prae sulibus exprobatae, quarum quo acri-
bus a se remouere conabantur suspicionem, (*) eo clara-
ora aliis, earum se conuicendi, suppeditabant argumen-
ta. Speciem & fulcimentum praebebat, nescio
quod ex male intellec̄tis philosophorum scriptis, & di-
uinis litteris, ad impurum sensum depravatis, confla-
tum chaos, subtilissimisque nugis idem refertum, & si
quid aliud ψυχωνέας γνώσεως nomine tituloque dignissi-
mum. Nec sophistarum cauillandi deerant artes, quas
honesto dialectico nomine tegebant, tantam huic tur-
pissimo ysu conciliantes inuidiam, ut nonnulli, recta a
prauis discernere parum apti, hanc ipsam artem, ἀντι-
θέτου nomine indicari ab apostolo, sibi aliisque persuasum
cuperent. Namque θεολογονέοφωνας affatim in
tanta doctrinae sententiarumque adfuisse corruptio-
ne, ecquis est, qui dubitet? (**) aut quis est, qui tam
hospi-

(*) vid. Ioannis Launoii *veneranda ecclesiae Romanae circa Simo-*
niam traditio. Prodiit Parisiis anno MDCLXXV. in 8. (**) *nevo-*
φωνας & νενοφωνας ab apostolo notatas, huc trahit pie
Rolandus Matthesius lib. II. ep. LXV. p. m. 477.

hospitem ex historia retulit animum, ut hoc ignoret ?
 Et vtinam nostram hoc non premeret malum ecclesi-
 am, nec iustissimas cum apostolo haberemus admo-
 nendi quosuis, praesertim eos, qui nostrae se comit-
 tunt disciplinae iuuenes, ut θεολογικον θωριας και αντιθέ-
 σης της ψευδωνυμης γνωστων fugerent ac evitarent, causas ?
 Ne quid enim de illis dicam, qui spreta a maioribus
 nostris sapienti consilio atque reiecta, ita in usum iam
 pridem reuocare allaborarunt, ut a superuacuis neces-
 saria, profutura ab inutilibus neutiquam discernerent,
 nec eam quam debebant in re tanti momenti, adhibe-
 rent, circumspectionem: quanta, quæsio, quotidie in-
 anum opinionum, commentorum, atque errorum,
 vbiique efflorescit seges ? quanta ingenii humani in ex-
 cogitandis fingendisque, quibus causæ suæ inservi-
 ant, quibus cupiditates suas improbas, impuras, tegant,
 excusent, pallient, promptitudo conspicitur, quanta
 foecunditas ?

Tam late θεολογικη γνωστων regnum patet, ut non
 modo errorum prauorumque dogmatum architecti,
 inuentores, ac propugnatores hanc apostoli repre-
 hensionem incurant: sed illi quoque, qui recta equi-
 dem atque vera vt cuncte docent, ad prauas tamen po-
 tius cupiditates, quam ad pietatem, bonosque, & ho-
 mine christiano dignos mores, cuncta referunt. Sunt,
 qui non certam haereticorum gentem, sed generatim
 philosopho & eruditos quosuis norariab apostolo, au-
 tumant, (*) quod iam tum plerique litteratorum, qui

(*) vid. Grotius in I. Tim. VI. 20, sed addatur Calouius ad eum
 dem locum.

christianae religioni nomen dederant, salutaris coelestisque doctrinae simplicitatem fastidientes, ut ad sapientiae humanae ac eruditio[n]is formam eam compo[n]erent, instruerentque, sua apostolorum scitis admisere non dubitarunt placita. Ex quo errorum deinceps & contentionum amplissima seges. Quibus licet, iustis suffultus, suffragari nequeam, causis, res ipsa tamen constat inter omnes, nihil aut dici aut cogitari perniciosius posse, quam si aut ad eruditio[n]is sapientiaeque laudem consequendam, aut ad alias quocunque demum nomine veniant cupiditates, comparatum sit veritatis, praesertim diuinae, quam theologiā hodie nuncupamus, studium. Quantacunque enim ista sit siue humanarum, siue diuinarum rerum, scientia, quantumvis splendida, accurata, exquisita, est tamen φιλόσοφος γνῶσης, nisi eo quo debebat, tendat, atque hunc referre apta sit fructum. Displicuere ipsis gentilibus, qui aliquod virtutis ac doctrinae, scientiae ac sapientiae, diuortium facerent, eamque demum veram & antiquam illam sapientiam iudicarunt, qua e nihil aliud, quam facienda atque vitanda, praeciperet.

(*) Quanto ergo magis christianos in ea versari dedit opinione, dignam esse scientiae nomine eam doctrinam, quae cum sacrae sapientiae nomen titulumque praeferat, non tamen ad emendandos corrigendosque mores, ad vitae sanctitatem, pietatemque, vnicē est comparata. Neque enim christiana aliud

quid,
(*) Seneca Epist. XCVI. Antiqua sapientia nihil aliud, quam facienda ac vitanda praecepit, & tunc longe meliores erant viri ē.

quid, quam λόγος ευσεβίας, ut recte veteres adpellarunt, (*) est religio: cum ipse ideo humana indutus carne adparuerit inter mortales Christus seruator, ut expiatis criminibus nostris, ad frugalitatem, castitatemque & omnem puritatem, pariter ac pietatem, iustitiamque, mundanis quidem procul faceslere iussis cupiditatibus, nos erudiret. (**) Nec mirandum, quamdiu prava haec mortalium insidet mentibus opinio, etiam eam, quae vitae parum inseruit, nec ad veram felicitatem quidquam prodest doctrinam, scientias sapientiaeque tamen, immo siquod nobilius est, nomen, in diuinis etiam sacrisque tueri posse, (***) dari multos, qui vana eruditio ac scientiae opinione agantur in transuorsum, quoitdieque audiri multorum querelas, nec saepius, nec turpius peccari, quam ab iis, qui virtutis praetere aliis exemplum debebant. Qui quidem miserrimi longe sunt omnium, cum & sibi per-

(*) videatur Psellus in *Oracula Chaldaica* p. 94. (**) Tit. II. 12.

(***) Longe aliter Lactantius, quam vulgo plerique hac de re sentit, dum *sapientia*, inquit, nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat, *inanis & falsa* est. Quod tum de civili, tum de diuina maxime sapientia, seu de theologia, longe est verissimum. Prolixius hoc edisserit de falsa sapientia cap. XVI. S. affragatur Bernardus, cuius insignis hac de re extat locus hom. XXV. in cantic. vbi inter alia ait: *aliud est nosse Deum, & aliud timere: nec cognitio (nuda scilicet, quae nihil aliud, quam Φεύδω. νυνος γνωσις est) sapientem (vereque scientem) sed timor facit. Tunc sapientem dixeris, quem sua sapientia inflat? Quis illos sapientes, nisi insipientissimus dicat, qui cum cognouissent Deum, non tanquam Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt? ego magis cum apostolo sentio, qui inspiens cor eorum manifeste pronuntiat, &c.*

niciem suis moribus afferant, & aliis, quos in errorem pariter inducunt, gravissime noceant, quo nihil tristius, nihil funestius homini accidere posse, pronunciante sententiam seruatore nostro, non ignoramus.

Nec ea quidem, quam designamus, $\psi\epsilon\delta\alpha\nu\mu\sigma\gamma\omega\varsigma$ species, quae veritate ac scientia ad vana, ludicra, improba abutitur, de moribus pietateque parum sollicita, infrequens hodie est, ut sacrae doctrinae veris interpretibus de ea parum cogitandum sit. Errores pro lubitu cuncta fingenium, & profana ista, veritate cognitioneque non recte videntium pestis, dum totum ferre occuparunt orbem, dubia velut inter se certant palma, dubiosque nos atque incertos relinquunt, vnde maior in orbe christiano strages? Nec villa litterarum, humanarum aut diuinarum pars est, quam non hac ratione contaminet, polluatque infernalis genius, ut illis, qui tanto studio eis operantur, vix animaduentibus, in $\psi\epsilon\delta\alpha\nu\mu\sigma\gamma\omega\varsigma$ degenerent $\gamma\omega\sigma\tau\pi$. Quam pauc enim sunt, qui litteris doctrinaque animum imbuentes, pietatis vbique christiana, sibi rationem praeципue habendam putent? Quam multi contra suos variis studiorum generibus, profecto minime virtuependis, laudandis potius maximopere, ita irretiri ac implicari patientur animos, ut de vita ad Christi seruatoris exemplum componenda, nulla eos subeat cogitatio? Quod cum intelligerent alii, & tantum illorum numerum, qui doctos se ac sapientes vocant, hinc inde agi ferrique & in praecipitia rapi viderent, causam malum litteris & scientia, non hominum stultitia querentes, in eam ingressi sunt sententiam, damnanda pariter reiiciendaque litterum studia esse, nec confistere

sistere cum eruditione pietatem posse. (*) Quae quidem iam antiquis ecclesiae doctoribus (**) improbata sententia, nescio, an horum, qui eam defendunt magis imputanda simplicitati, quam imprudentiae illorum, qui profana mente litterarum sacra contrecantes, & sibi ipsis perniciem, & bonis artibus contemptum attrahunt.

Ego vero haec omnia accuratius mecum expendens, hoc mihi, dum demandatum clementissime a SERENISSIMIS academiae huius NV TRITORIUS munus subeo, praecipue negotii darum facile intelligo, ut recta, quam diuinae monstrant litterae, via incedam, nec villa me ab illa ratione dimoueri patiar. Semper itaque animo meo obuersabitur vox sanctissi-

D ma

(*) Fuerunt multi, qui aperte hoc professi sunt: nonnullis tamen perpetam haec sententia imputatur. Inter recentissimos Gallus quidam est, Carrel, cuius hac de re liber Lugduni anno MDCC prodiit, titulum gerens: *La science ecclesiastique suffisante & elle même, sans le secours des sciences prophanes.* Id quippe agit, ut non tantum philosophiam, litterasque, quas humaniores vocant non necessarias ac superfluas theologis, sed noxias insuper iudicet. Ad Tertullianum autem aliosque ecclesiae patres, humanarum rerum scientiam ac philosophiam damnantes, dum prouocat, parum pensi habet, haereticos, hac ψευδωνύμων specie deceptos, aliosque decipientes, eos ferire. Sed ille iam aliorum expertus est censuras. (**) Origeni lib. I. contra Celsum. Lactantio diuinarum Institut. lib. V. cap. I. Augustino de doctrina christiana lib. IV. cap. II addatur & eiusdem libri. cap. VII. XIV. XX. XXI. alisque. Iungatur Kortholtus in Pagano obrectatore lib. I. cap. XI. ubi obiectamolim christianis stupidam ruditatem, diluit.

ina Pauli, τὴν πραγματείαν seruare & custodire, quo
 maximo fieri potest studio, iubentis. Idque eo ma-
 gis, quo facilius, quo grauius aberratur, quam pri-
 mum vel levissimo flexu, ab hoc diuini verbi trami-
 te disceditur. Hac contra lucerna instructus, nullos
 errorum, quantumuis sinuosos anfractus, nullas quan-
 tumuis densas, ac infernales, metuo tenebras: hoc cly-
 peo munitus, certissimā contra quosuis veritatis ac pie-
 tatis hostes, mihi polliceor victoriam. Et ita facile
 charybdin euitare licet, ne tamen in scyllam incida-
 mus: si cognitioni, rite ut decet, operemur, scienti-
 aeque iustum statuamus pretium, similitudinem caue-
 amus, ne in Κενδύων degeneret γνῶση, aut pro veri-
 tate arripiendo commenta vana atque erronea, aut
 in superbiae impietatisque conuertendo instrumen-
 tum, quod ad pietatis virtutisque regnum promouen-
 dum, diuinitus nobis est concessum. Qua quidem
 ratione vota SERENISSIMORVM ACADEMIAE huius
 NVTRITORVM, quorum propensam erga me volun-
 tam clementiamque singularem, grata, ut decet,
 mente, & submisso animi cultu merito veneror, me
 non frustraturum confido. Horum quippe huc ten-
 dente curas, huc spectare vigilias, scio, ut salutari illa
 & genuina ecclesiae nostrae doctrina, ex purissimis di-
 uinarum litterarum fontibus, vnicے hausta, pro qua
 illorum maiores tantos exantlauere labores, tot subi-
 ere calamitates, hoc bonae mentis domicilium sem-
 per personet, utque iuuenes ea imbuantur, & ad pie-
 tatem, certissimum, veræ doctrinae, modo ut decet,
 eam

eam admittant, fructum, simul erudiantur. Ita
 namque per eos haec παραπαθήνη ad alios in longe
 ventura propagari potest secula, atque conseruari,
 ut maximum pariter ad ecclesiam vniuersam ac rem-
 publicam, singulos denique, qui suae rite consulere
 salutis cypiunt, redundet emolumentum. Quare ut
 statim in primo suscipiendo muneris limine, quae ra-
 tio sit euitandae φιλοσοφίας γνώσεως, quam paucis deline-
 auimus, & diuinæ huius παραπαθήνης conseruandæ,
 constet, oratione, more consueto präelectionibus a-
 cademicis die hora praemittenda de NE-
 CESSARIO PIETATIS ET VERITATIS NEXV exponam:
 Cui ut PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, IL-
 LVSTRISSIMI COMITES, VENERANDI ACADEMIAE
 PÁTRES, OMNES LITTERARVM FAVTORES AC CVL-
 TORES, AC ADAEMIAEQVE CIVES LECTISSIMI FLO-
 RENTISSIMI QVE, interfint, meque de re maximí
 momenti, incompta ea quidem ac ornatu omni de-
 stitura, necessaria tamen, & nostris temporibus ac-
 commodata oratione dicentem, benebole audi-
 ant, ea qua decet, omnes ac singulos ob-
 seruantia ac humanitate rogo,
 obsecro, inuito.,



11. statimque hunc annos et quatuor annos
et alii annos be rebatur et regnabat. et regnabat
rebus suis regno. et regno. et regno. et regno.
et regno. et regno. et regno. et regno. et regno.
et regno. et regno. et regno. et regno. et regno.
et regno. et regno. et regno. et regno. et regno.
et regno. et regno. et regno. et regno. et regno.
et regno. et regno. et regno. et regno. et regno.
et regno. et regno. et regno. et regno. et regno.
et regno. et regno. et regno. et regno. et regno.

Capitulum xxxviii

IO. FRANCISCI BVDDEI
SS. THEOL. D. ET P. P.

ORATIO

DE

VERITATIS ET PIETATIS
NEXV NECESSARIO.

QVA
MVNVS DOCENDI THEOLOGIAM
IN ACADEMIA IENENSI
DIE XXV. APRILIS MDCCV.
RITE EST AVSPICATVS.

Anno 1705.

10. SIVNCRISI BADDII

2. TEMPLI ETAT. R.

QVOTIO

E

VERITATIS ET LITERATURÆ
INVA Necessario.

MANEAT OGENDIO THEOLOGIA IN

LA ACADEMIA LIBETZII

QVICQUAM CUM VITIA MODO

GRATIAS AGIT CAVITAT.

anno 1702



Q. D. B. V.

Cum immortali mente praeditum hominem vellet, praepotens & benignissimum Numen, & voluntatem ei indidit, qua profutura adpeteret, noicitura fugeret ac aversaretur, & intellectu eum instruxit, qui lucem praeferret, monstraretque viam, & a prauis discernere bona condoceret. Maximis autem calamitatibus immerito hominum genere, si qui forte inde eluctati sunt, vt alii quoque se praecire exemplum posse putarent, id maxime dedere operam, vt pulsis quae intellectum circumsepiunt tenebris, flecterent ad meliora mentem, profligatisque vitiis ad eam felicitatem ducerent, quam nauibus, vt ille sit, omnes petunt atque quadrigis. Magna itaque extitit illorum turba, qui erudire intellectum ad veri falsique discrimen adgredierentur; qui cum non vnam omnes inirent viam, nonnulli etiam ad augendos, quam imminuentes errores, aptiores se reipsa ostenderent, in eo tamen plerique a recto aberrauere tramite, abreptique in deuia sunt, quod in via ad felicitatem, ipsam se inuenisse felicitatem arbitrarentur. Pulchrum & magnificum, diuinarum humanarumq; rerum cognitione imbutum esse: ea vero si quis non ad eas, quae omnes circumstant, calamitates, curasq; depellendas vtratur, is quorsum tanta bona comparata sint, mortalibusq; a Deo concessa, nescire videtur. Nec istud profecto sapere est,

A 2

ma-

magno labore conquerire opes, coaceruare thesauros, quos
 inter inops atq; egenus, squalore ac rubigine obsitus, con-
 fenescas! quod isti faciunt, qui in tanto eruditionis & sci-
 entiae adparatu miseri sunt, animique, quibuscum confi-
 stantur, morbis, nullam adferre didicere medelam. Se-
 iungunt namque, quae coniuncta esse voluit arctissimoque
 colligata vinculo Deus, ea quidem ratione, vt cum per vi-
 tia sua miseri sint homines, horum vero non alibi, si ab in-
 tellectu discesseris, quam in voluntate quaerenda fedes sit,
 intellectui medendo ideo incumberent, vt voluntas a ca-
 ducis ad perennia, a terrestribus ad aeterna, ab humanis ad
 diuina traduceretur. Misera adeo est illorum conditio, vt
 quorum mutuo auxilio contendere ad salutem deberent,
 eorum velut conspiratione quadam, perniciem sibi attrahant,
 atque interitum. Cumque posita in medio ratio sit
 utriusque subueniendi facultati, tanta plerosque insania oc-
 cupauit, vt dum pulchre se aut virtuti sine veritate, aut ve-
 ritati sine virtute litare arbitrantur, utramque haud raro a-
 mittant, quia utramque nolunt. Late inuasit ea pestis o-
 mnes artes scientiasque, quibus in scholis & academiis iu-
 uenum animi imbuuntur, tantaque hinc secuta est bona-
 rum mentium clades, tam foeda vbique fere oborta facies,
 vt quocunque animum vertam, nihil nisi triste ac lugubre
 occurrat. Sed cum primis sanctiori atque coelesti doctri-
 nae, qua orbem personare Deus voluit, vt omnium saluti
 consulteret, confitendum omni tempore cum isthoc
 hominum genere fuit, qui nefando ausu & sacrile-
 ga impietate, diuellere ea atque discerpere adgressi sunt,
 quae nisi coniuncta sibi non constant, fructuque & fine de-
 stituuntur. Istud vero altius mecum reputans, simulque
 pri-

primam malorum, quae nobis hodie incumbunt, originem,
non profecto aliunde, quam ex infasto illo rerum inter-
se coniunctarum diuortio, arcessendam, penitus consider-
ans, indeque summam eorum, quorsum & labores & con-
silia omnia in demandato mihi in hac academia, a Serenis-
simis Nutritoribus munere, tendere debeant, mihi pro-
ponens, aptius profecto, quo auspicer impositam mihi pro-
uinciam, inuenire non potui argumentum, quam si de ne-
cessario isto pietatis & veritatis in rebus coelestibus nexu,*
pro ingenii viribus verba facerem. Et muneris mei ratio,
& temporum, in quibus versamur, conditio, & multorum

A 3 de

* Ex veteribus APOLLINARIUS HIERAPOLITA περὶ ἐυσε-
βίας, de pietate, itemque περὶ ἀνθελας de veritate scripsit:
distinctis quidem separatisque operibus, sed in quibus haud
dubio & virtusque nexus ostendit. Memorat haec Photius,
qui & addit, eum aduersus gentes scripsisse. Forte eundem
in his oīaib⁹ sibi propositum finem habuit Apollinaris, cum
& ad religionis christianaæ veritatem demonstrandam pluri-
mum hocce valeat argumentum. Ut enim ethnici viriusque
& veritatis & pieratis laborarunt defectu: ita utraque non a-
libi, quam in christiana reperitur religione. vid. Photius Bi-
blioth. cod. XIV. p. m. II. Meminit & eius Hieronymus, catal.
script. ecclesiast. p. m. 47. vbi praeter insignie, ut vocat, volumen
pro fide christianorum, quod M. Antonino Vero Imperatori
obtulit, commemorat quinque eius aduersus gentes libros, &
de veritate duos & aduersum Cataphrygas. Sed nihil horum
extat, praeter fragmenta quaedam, apud Eusebium his, eccles.
lib. V cap. XV.XVI. De quibus tamen adhuc inter eruditos di-
spicatur, an huic Apollinario recte attribuantur. An alias ex
veteribus, ex instituto hoc argumentum tractauerit, asserere
non ausim.

de me expectatio non tam suasit , quam postulauit , ne ista vulnera nostra , quibus medendis omnibus bonis elaborandum est , intempestiu forte aut dissimulatione , aut aliorum , ad nos minime pertinentium conseftatione , praeterirem . Benignas itaque mihi praebete aures , & beneuelle hominem non de nugis , aut rebus ludicris , sed de summo aeternae felicitatis capite dicturum , audite . Ornamenta & lenocinia respuit in re tam seria occupata oratio , nec a me velim quisquam ea expectet , cui constitutum vnice est , veritatem , quae sola se simplicitate commendat omnibus , atque tueretur , eo orationis proponere genere , aquo , vti decet , fuci omnis suspicio quam longissime sit remota .

Non est ea , Auditores , de qua dicere animus est , veritas , aut humano excogitata studio , aut ab iis ad nos propagata , qui erroris periculo obnoxii , dubios nos ancipites que relinquere potuissent . Etenim cum antiquis temporibus non vna ratione sanctissimos viros , quos omnis merito veneratur ac suspicit posteritas , de sua voluntate certiores reddidisset Deus , tandem eo tempore , quo diuinae hoc maxime conveniens visum sapientiae , humano corpore indutus , inter mortales comparuit ipse Dei filius , & exemplo , & voce , ad beatas sedes , ad quas suo sanguine adiutum nobis muniuit , viam monstraturus . Ipse vero ut praesens suae aetatis homines erudituit , ita , ne posteris longe que venturis seculis de essent , qui eadem docerent , quae ipse docuit , saluberrime prouidit , constituitque , & diuino spiritu ornauit illos gentium orbisque vniuersi doctores , qui non modo per suos discipulos , quae a magistro accepterant , sed scriptis etiam , diuinae auctoritatis characterem luculentissime paeferentibus , ad alias transmittenterent .

Tan-

Tantis ergo auctoribus, quibus denegare fidem, stultitia
 esset, summumque nefas, constitit, conditum a Deo ho-
 minum genus ad summam, quam mens capere hodie ne-
 quid, beatitatem, mox turpi se inuoluisse criminis, praeci-
 pitique casu ad deteriora prolapsum, non modo indignum
 se reddidisse tanto Numinis fauore, sed in istam miseriam,
 quae omnes premit, quae maiorum cogitari nequit, impru-
 denti consilio se immersisse. Miseros autem dum homi-
 nes voco, non modo quae corpus vexant morborum varia
 genera, febriumque cohortem, & lethi necessitatem, aut
 si quid praeterea durum & atrox communi hominum op-
 nione censemur, intelligo: sed istud in primis quod menti
 insidet vitium, quo ad caduca & peritura continuo con-
 uertimur, abducimur contra a Deo vero & unico, omnis
 felicitatis, omnis beatitudinis fonte. Sui amorem, stu-
 tum illum & insanum, quo Deo nihil, nobis omnia tribui-
 mus, qui visceribus omnium atque medullis, a parentibus
 in nos propagatus, inhaeret, qui dixerit, omnia dixerit, qui-
 bus miseria hominum comprehendatur. Istud malum
 cum ipsa anima haustum, agitat omnes atque fatigat, ut cu-
 piditatum, quibus aut sensibus blandimur, aut supra alios
 nos efferimus, aut opes corradimus, & in vetita quaevis at-
 que nefanda incitato cursu ruimus, nec finis, nec modus
 sit. Hoc scelera quaevis ac crimina profert, hoc laedere
 alios, furere in se ipsum, contemnere aequales, insuper ha-
 bere superiores docet; hoc poenas diuinas humanasque in
 nos prouocat, vastitatem prouinciis, cladem gentibus at-
 trahit; hoc curas omnes & efficit & auget, infamiam creat,
 paupertatem aut assert aut intolerabilem reddit: & vt pau-
 cis omnia dicam, ex hoc ceu semine foecundissimo, & cri-

mi-

mina quaevis, & criminum poena, tum quae huius vitae est,
 tum quæ post mortem hominis manet, progignuntur. Tan-
 tam ergo, quam fraude sua infernalis genius, ediderat stra-
 gem, videns Deus, reputansq; secum, eam eripiendi ex tot
 malis hominum genus iniuit rationem, quæ digna prorsus
 esset diuina maiestate, & amore, & sapientia. Suum mit-
 tere decreuit filium, qui humili & abiecta conditione ho-
 mo natus, per dura & aspera vitam duceret, donec atroci
 & infami mortis genere e medio tolleretur, crimina mor-
 talium, tam indigna patiendo, expiaturus, Numinisque
 ita iis iterum conciliaturus fauorem. Ita namque eos,
 qui tantum vera fide amplexaturi essent beneficium, si mo-
 do diuino ad hoc quoque praesidio adiuti, mutare mentem,
 & rectiora sequi vellent, non modo imperata admissorum
 venia diuinæ gracie certos esse posse, sed hoc etiam con-
 sequi, ut diuinis viribus coelitus aucti, prauos qui subinde
 recurrunt, circumcidere & coercere affectus, naturaeque
 reprimere iuultus, puramque & innocentem, rerum qui-
 dem huius seculi procul facessere iuslo amore, vitam duce-
 re queant. Haec prora ac puppis est tam stupendi operis:
 haec summa, hoc caput, quorū cuncta se referunt, in
 quo omnia conspirant, haec causa cur Deus ipse seruatoris
 munere functus est, ut expiatis criniib⁹ nostris, perfidie
 mentem moresque mutemus, animumque a prauis
 istis cupiditatibus, suique amore, ad coelestia & diuina,
 Numinisque amore in, qui omnia complectitur, qui nos
 totos occupet, nos sibi soli vindicet afferatque, traduci pa-
 tiamur. Hoc testati sunt patres, qui seruatoris tam anxie
 expectauere aduentum, hoc diuini cecinere vates, hoc de-
 monstrauere apostoli, hoc sancti omnes suo comprobauere
 exem.

(9)

exemplo.ⁱⁱ Ipsa scriptura sacra vbique hoc loquitur, hunc finem, hunc scopum prodit, in hoc velut centro & nucleo seipsum totam circumscribit, atque ostendit.

Quid haec sibi velint, & quorsum ea, quae dixi spectent, iam vel me non monente intelligitis. Deum amare super omnia, eumque ne offendamus, a prauis abducere animum, proculque ab iis omnibus, quae labi quadam mentem inficiant, seremouere, hoc deum verae pietatis opus est. Ethuc cum et opinia, quae ex diuinis litteris in compendium velut contulimus, comparata sint, ecquis est, qui dubiter, non vlla fas esse ratione sciungere a veritate pietatem. Simulatio enim & ad fucum composita incutis faciendum, fallacia, & quidvis potius, quam pietas descendat, quae huius doctrinae diuinitus nobis patescatae non ntitur veritate. Hanc enim quod Deus, singulari beneficio concessit mortalibus & commendavit sollicite, id vero argumento est, hanc vnicam, quam in diuinis monstrauit litteris ipse Deus, patere hominibus ad veram pietatem felicitatemque viam. Respuere autem diuina haec oracula, eorumque interuertere sensum, doctrinamque purioris ecclesiae ex his depromptam fontibus fastidire, eorum sane est, qui diuinae detrectant obsequium voluntati, cui an addi aliquid impietati queat, dubito. Sed horum tam manifesta stultitia est, tam valide, tam saepe iam confutata atque castigata, vt perderet tempus, qui iis refelendis diu immoraretur. Est aliud hominum genus, qui cum de diuinis rebus summisque religionis capitibus, verba facere praeclera didicerint egregie, deque Numinis in nos collatis beneficii loqui magnifice, nihil tamen illorum percepérunt vñquam, quae tantopere iactitant: iis prof-

cto similes, qui Principis prolixè praedicant grātiām, quam tamen nunquam sunt experti. Quam vero illepidum, miseriam, qua per naturae conditionēm obruti sumus omnes, viuis posse depingere coloribus, nec tamen id agere, vt ab ista liberemur ipsi! Quis ferret aegrotum, qui de morbi, quocum conflictatur, causis, possit differē sapienter, nec tamen, vt sanitati restitueretur, daret operam! Non vero solennius quicquam, quam redemptorem Christum seruatorēmque habere semper in ore, nec tamen eius vti velle opera, qua eas, quae animū vexant, cupiditates depallamus. Quid iuuat diuinās edictūm suiss litteras, coelestem perspectam habere veritatem, theologorum tenere scita, ecclesiae callere decreta? immo nocet quamplurimum. Multo namque tolerabiliorem illorum fore conditionem, qui tanta quidem ignorarunt bona, quam illorum, qui cum obtinere possent, & perspecta haberunt cuncta, immo differere de iis perite & copiose didicerunt, repudiarunt tamen, & diuino isto fauore, quem tantopere praedican, se ipsos reddiderunt indignos, diuina nos neutrīam dubitare sinit vox seruatoris. AVG VSTI NVM nouimus, Hipponenſium illum praefulem, acerbe deplorare iuuentutis suae fata, * & quod ea quae didicisset, non ad meliores menti induendos mores pietatemque, sed ad satiandas, vti loquitur, insatiabiles cupiditates copioſae in opiae & ignominiosae gloriae, retulisset. Atque id quidem cum de humanis ille intelligat litteris, quid tandem de illis pronuntiandum, qui ipsum illum sermonem pietatis, ad ingenii ostentationem, ad congerendas opes, ad titulos honorum aucupandos addiscunt, vt habeant, quo foediſſimas

* vid. Augustinus confess. lib. I. cap. XII.

Istud qui parum pensi habent, quantumuis veritatis,
aut sapientiae quoque opinione se efferant, haud raro vni-
bra scipios pascunt, inani veritatis se decipiendo specie. Pra-
uae namque densissimam menti ossundunt caliginem cu-
piditates, quam non facile quis dissipauerit, qui has non a-
nimō eiecerit. Fertur ad vetita mens improba, statim-
que intellectus vna abripitur, vt ad placitura se conuertat,
eaque eruenda, exhibenda, ornanda, quae honestatis etiam
speciem cupitis concilient. Placeat modo error, volu-
ptatemque adferat, aut commodum, non deerit sibi im-
proba libido, in tot se vertet partes, vt mox verum videa-
tur, quod antea falsum iudicabat, nunc, iustum, bonum,
salutare sit, quod noxiū, iniquum, prauum, reputabatur.
Caligant & coecutiunt ad clarissimam coelestis veritatis lu-
cem, acutissimae mentes, & quae dubio carent, non cre-
dunt, quia credere nolunt. Iudeorum mihi hic in men-
tem veniunt magistri gentiumque philosophi, qui vel Chri-
sti, vel apostolorum aut viderant miracula, aut audierant
sermones, nec tamen ut perspicerent, tanto vndique ful-
gore exsplendescerent veritatem, induci poterant. Plebeii
homines, iisque ingenio, eruditione, omnique indagandae
veritatis adparatu, quo illi tanum dare solebant strepitum,
nudati, illis praeripiuerent palmam, diuinaque se perfundili-
ce passi sunt, magnis illis philosophis doctoribusque & Pa-

laestinae & Graeciae, in tenebris interea oberrantibus. Hinc
namque aut auaritia, aut ambitione, aut aliis, quibus
mens aegra laborat vitiis, intransuorsum acti, aut turpe du-
cebant discerere ab iis, quos vix numerare inter disci-
pulos vellent, aut suis hanc doctrinam non respondere mor-
ibus animaduertebant. Aversari ergo primum coelestis
doctrinae testes, eorumque odio habere scita, mox ne i-
stos reiiciendo seipso damnarent, dubitare de veritate,
excogitare contra eam solerter rationes, firmiter tandem
sibi persuadere, errare istos, nec vera dicere, adeoque re-
iiciendos, admittenda contra cū vera esse, quae ipsi exco-
gitassent. Ita prava cupiendo tenebris se ac caligine inu-
luerunt, veritatique non obsequendo, eius fecere iactu-
ram: nec tantum improbi miserique manserunt, quia er-
rarunt, sed errarunt quoque, quia corrigere mentem, mu-
tareque noluerunt mores.

Ea quippe veritatis est indeoles, ut nec capi commo-
de, retineri diu possit, nisi purgato probe a vitorum fodi-
bus animo, & contra seculi illecebras egregie munito.
Vim eius & lucem non ferunt improbae mentes, hinc agi-
tatae per eam & ex latibulis velut protractae, suam hoc pa-
cto turbari quietem, indignabundae conqueruntur. Aut
ergo obviam statim eundum aditumque intercludendum
censem, occlusis auribus cordibusque obduratis; aut si quae
scintillula mentibus illapsa sit, ne incendio totus conflagret
animus, omni opera annituntur, Saltem ne morem ran-
dem gerant, conscientia veritatis animo, se prorsus obfirmant,
eo tandem progredientes, ut ludibrio habeant, quae ve-
ratamen credunt, & vel ideo quia facienda easibi fuerint,
non faciant: hoc ipso plerumque vtrices Numinis poenas

experientes, dum tantam rursus illis immittit coecitatem, qua seipso in perennia diuinae vindictae exempla statuunt. Tristia eheu! ea per sacros annales animum circumferentibus, obuersantur quamplurima. Gentilium quis nescit insanos errores, qui totum inundarunt orbem, si ab isto fere mundi angulo, quem gens Ebraea incoluit, descendat, quibus id efficerunt, ut non tam improbitatis, quam stultitiae velut quoddam inter se iniisse certamen, videantur. Quis non rideat aut indignetur tam inepta, quibus & sibi & aliis illudebant, & omnem tamen Numinis cultum circumscribabant, commenta, quae in mentem homini venire potuisse, merito dubitaremus, nisi certissima antiquitatihoc perhiberent monumenta. HOMERUM testem aduoco, cui omnis graecae sapientiae parenti fidem denegare, netas.* Quam ille illepida, quam nefanda, quam ab omni ratione absonta de Diis gentilium narrat! Hic eorum paria composuit, sauciauit Venerem, Martem vinxit, vulnerauit, fugauit. Iouem narrat a Briareo liberatum, ne a Diis ceteris ligaretur: & Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbrisbus fuisse. Quid stupra, raptus, adulteria, mendacia Deorum loquar, quae omnia in hoc prodita, ut vitiis hominum auctoritas conciliaretur. Ut enim improbitas errorem gignit, ita errores rursus flagitiis & criminibus mortalium patrocinantur, ideoque incitante infernali genio, excoigitantur, souentur, propagantur. Ipsa illa Deorum numerum augendiratio, quantam illorum hominum vesaniam demonstrabat! Ergone suspensa de laqueo est, ut virgo inter astra ignita sit: Castores alternis moriuntur, ut

* vid. de his & reliquis Minutius Felix in octav. p. 78. seqq.

viuant: Aesculapius ut in Deum surgat, fulminatur: Hercules ut hominem exuat, oetaeis ignibus concrematur. De ritibus vero quibus sacra sua faciebant, quid dicam? nonne furorem arguebant, ut mitissime loquar? Nonnulla namque exitus tristes, fata & funera, & luctus atque planctus miserorum Deorum exhibebant, ut Isaica illa, quorum magna erat celebritas. Nec saniora erant, aut Cere-
ris, aut ipsius Ionis, aut reliquorum Deorum Dearumque, nonnulla tam nefanda, ut nec meminisse quis illorum sine horrore queat. Maximus autem in Deorum Dearumque multitudine, occaecatae mentis elucescebat stupor. Non coelum modo, sed terram mariaque Diis suis complebant; in montibus, in vallibus, in querubus, in lucis Dii palpabantur. Tot erant Numina Athenis, ut facilius ibi reperires Deos, quam homines: suntque qui asserunt, ultra triginta ibi adfuisse millia, ut manus quoque ad thura tot Diis admouenda deessent. Nec hominibus tantum ad Numinum consortium patebat aditus, famosissima animalium & olerum, * Deorum inuadebant solum, crocodilosque & ibes, & feles, inter Numina non erubetcebant venerari Aegyptii, documentum praebituri omni posteritati, sapientissimas gentes stultissimas fieri, a recto cum semel deflectunt tramite. Nec dum furoris & insaniae finis: nonnulli tanto stupore tenebantur, & vt CYRILLVS ille Alexandrinus ** loquitur, sic omnem humanitatis sensum amiserant, ut non coelo, terrae, ac lunae solum, reliquisque sideribus diuinos honores tribuerent, sed & in templis varia simulacra collocarent, iisque non hominum tantum figuras
in-

* add. Cicero *de Natura Deor.* lib. I.

** *contra Julianum* lib. II. p. m. 502. edit. Spanhem.

insculperent, sed etiam brutorum animalium, & avium, & reptilium, deosque ipsa & seruatores nominarent. Nec est quod sapientes illos, quos philosophos vocamus, ab hocce plebis errore procul remotos fuisse, contendas. Fuerint sane, quod non abnuso, quidam, quos tanta nondum ceperit dementia, ut puderet eos potius tam inconditarum fabularum, tam stultae impietatis; maiorem tamen gentilium partem tantis commentorum & fabularum portentis, omnem Numinis circumscripsisse cultum, constat. Et hi ipsi tandem philosophi, etsi non eadem cum plebe credebat, num ideo meliora, rectioraque? * Modo non deteriora. Maximos enim praestantissimosque veterum philosophorum, a summa non procul abfuisse impietate, Deumque quem saepe in ore habebant, non vita modo moribusque, sed decretis quoque atque sententiis in atheismum, vti vocant, tandem abeuntibus, insiciatos fuisse, obseruatim nostra aetate, demonstratumque a non nullis fuit quam luculentissime. Tantae ergo quae gentibus incubuit caliginis causam, rationemque, tot gentium diuinus magister Paulus nos condocet, ideo ex sapientissimis stultissimos factos esse istos homines, & quam habebant rationis scintillulam amisisse, praecipitesq; datos in horrenda & nefanda quaevis, quod cognito Deo, non ei dignam Deo gloriam, & gratiam tribuerent.

Cautiores haec reddere debebant illos, qui clarorem veritatis lucem a Christo & apostolis acceperant, ne prauis moribus eam a se repellerent, nouamque sibi attraherent caliginem. Veteres quidem sollicite hoc egisse

* add. Hermiae irrisio gentilium Philosophorum, a Wilhelmo Worth cum Tatiani Orat. ad Graecos edita.

constat, ut vitam moresque doctrinae attemperarent, probe edoces, perdi facile ac corrupti doctrinae puritatem; nec conseruari diu admodum posse, nisi sobrie & sancte quoque veritate, ceu singulari Numinis dono vtamur. At cum in aeuum tandem erupisset omne nefas, latiusque manaret illa, quam semel etiam sacerorum antistites contraxerant, morum contagio, nec doctrinæ sua constitit veritas; erroribus, opinionibusque malesanis, infecta, & contaminata sunt omnia. Romanæ ecclesiae innuo fata, quae quoties ea consideramus, & gaudendi nobis ac congratulandi, praebent argumentum, quod tantam erroris & impietatis abyssum effugere nobis contigerit; & horrorë simul incutiunt, sollicitudinemq; inducunt, quod quae veritatis & puritatis lucem tam late diffundebat longeq; extollebat supra alias ecclesia caput, prolabi in tantu dedecus potuerit, ut impietatis ac superstitionis quoddam velut regnum constitueret. Si villa nainq; inter veteres, Romana ecclesia sane virtutis sanctiorisq; vitae exemplis abundabat, & doctrinae verioris studio exsplendescerat. Cum diri errores orientem agitabant, ad Romanam ecclesiam, qui pro veritate stabant, ceu ad sacram confugiebant anchoram, certissimum ibi praesidium inuenturi. Inde tanta dignitas, tanta praesulum auctoritas, ut veritatem veluti sedem in Romana ecclesia fixisse, multi sibi persuaderent. * Sed non

* Hinc CYPRIANVS Epis. ad Cornelium, Romanos eos esse, ait, ad quos persidia non possit habere accessum. Et HIERONYMVS lib. III. apol. contra Ruspium, Scito, inquit, Romanam fidem apostolica voce laudatam, eiusmodi praestigias non recipere, etiam si angelus alter annunciet, quam semel praedicatum est, Pauli auctoritate munitum non posse mutari.

non minor in illis commendabatur vitae innocentia.* Episcopi castitatis, modestiae, temperantiae, continenciae suis praecire exemplum, hoc demum putabant sui esse munieris, nec villa in re sibi praecepui quid vindicare, nisi quod in laboribus, pro aliorum salute suscipiendo, in cruciatibus magno animo perferendis, primas sibi assertebant partes: reliqui, pastorum premere vestigia, nec villa regalis angi, quam ne amoris officio alteri quis cederet. Tanta ergo virtutum cum ibi effloresceret seges, doctrinaeque coelestis hunc maxime fructum esse cuperent, ut per eam morum puritas ac innocentia indies augesceret; ab erroribus quoque immunes eo facilius retinuerunt animos, quod praeiudicatae, ex vitiis quippe fluentes, opiniones, non temere locum apud eos inuenirent. Sed tantae non diurna apud eos fuit felicitatis possessio. Seculi namque veneno afflati, sanos non amplius tenuere affectus: & pro humilitate ambitio, pro temperantia luxuria, pro continentia avaritia & diuitias congerendi cupiditas, inualuit. Nullum scelus exemplo caruit: & qui prohibere ingruentis mali vim debebant, ipsi laxatis velut habenis, ruebant in deteriora. Haec mali, quod vniuersae deinceps incubuit ecclesiae, & quod vix a ceruicibus nostris depulimus, origo. Nota satis atque comperta, & grauissimorum auctorum testimoniiis comprobata, loquor. Etenim ut reliqua taceam, quam foedam, & a priori longe diuersam ecclesiae Romanae faci-

C

em,

* HEGESYPPVS apud EVSEBIVM: παρθένος οὐδεὶς νεανία φέρει τὸν ἔγκυον οὐκ εἰληπτός, virgo integra & incorrupta permanſit ecclēſia. bīſt. ecclēſ. lib. IV. cap. XXII. add. Nicēphorus, lib. IV. cap. VII.

em, iam suo tempore vidit AMMIANVS MARCELLINVS? * Operae is pretium, profanorum videlicet hominum iudicio, putat, magna contentione Romanum ambire episcopatum, cum eum adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspete vestiti, epulas curantes profusas, adeo, ut eorum conuiua regales superent mensas. Ita a morum primum descitum sanctitate, tum & mox a doctrinae veritate, vnius iactura, alteram quoque secum trahente. Etenim ad maximum orbis fastigium, diuitiasque immensas cum planam pronamque viam viderent isti praefules, iam id sibi datum credebant, ne parqm hic se praebuisse solentes, optimamque, rem bene gerendi praetermisssae occasionem, viderentur. Aliorum ad hoc abuti superstitione, tutissima cupitis potiundi via visa: inflectere ideo sensim christianaे doctrinae placita, & ad sua detorquere commoda. Fidem commendabant & injungebant diuinæ literæ? Eam scilicet interpretabantur isti, quæ Romanae ecclesiæ, hoc est praefulum ipsorum decreta, ceu diuina omnes amplecti debeant oracula. Nihil namque ad conciliandam auctoritatem, & potentiam, accommodatus. Virtutes, homine christiano dignas, eadem ab omnibus, qui hanc disciplinam sequi se profitebantur, exigebant? opportune prorsus hoc accidebat Romanis episcopis, eo hoc trahentibus, morigerum esse episcopis, eosque ferre in oculis, cultu & honore prosequi, augere diuitiis, humari & voluntati eorum moreni gerere, has demum virtutes esse, haec bona illa, vti vocabant, opera, quibus quam rectissime gradum ad beatorum sedes struere sibi quisque pos.

* lib. XXVII. cap. III. p. m. 525.

posset. Transferri ad aeterna gaudia piorum animas, im-
proborum contra perennes manere cruciatus, sacra doce-
bat omnes scriptura. Comminiscendum & hic aliquid e-
rat, ne nullum prorsus lucrum inde referret ecclesia. Gen-
tilium de animarum post mortem purgatione doctrina
subibat mentem: hanc arripere, & manibus amplecti am-
babus, admodum quippe ad rem faciendam, accommoda-
tam. Sed mitto reliqua, nota satis & in aprico posita. Et-
enim si omnia enumerare vellem, cuncta doctrinæ capita,
quibus, arte subtili & ingeniosissima fraude, imperium istud,
quod in omnes christiani orbis partes afferunt sibi Romani
praesules, afferenda essent, in quibus a coelesti veritate, in
grauiissimos prolapsi errores ideo sunt, quod prauis suis cu-
piditatibus, quibus animum dederunt, inferuire, iisque re-
ligionis suae scita attemperare, ducerent consultum.

Ita ergo ex morum prauitate ortum est illud tenebra-
rum regnum, in quo dux & caput ille ipse fuit, quem Chri-
sti seruatoris nostri iuratum hostem, etiam praedictioni-
bus suis, clavis quam in ecclesia editurus esset, atrocitate
velut attoniti, diuini designarunt vates. Nobis vero ea
contigit felicitas, ut signum velut ad bene sperandum tol-
lente MARTINO LUTHERO, cordatissimo viro, non
tantum conficeremus clariorem, quam digito ille mon-
stravit, sacrarum litterarum lucem, sed illud etiam serui-
tutis iugum, quod omnium ceruicibus incumbebat, au-
spicatissimo excuteremus consilio. Cuius beneficij ma-
gnitudinem, quam vellem, ut omnes perspectam haberent!
Certe perspectam habere nequeunt, nisi qui fraudum ma-
chinationumque ordinem, seriemque scelestissimorum
consiliorum, quibus ad diuitias, & imperium grassari, pru-
den-

dentia visa fuit, & hinc consecutam diuinioris doctrinae
 corruptelam, cognitam prorsus & exploratam habent.
 Haec qui circumspecte & sollicite considerant, quantam e-
 uaserint perniciem demum intelligent, & viam, quam in-
 gredi debeant, ne denuo in praecipitia eiusmodi incident,
 videbunt. Etenim & nos, haec aliorum pericula, cautos
 atque prudentes reddere debeant, originem quippe cau-
 fasque tot tantorumque malorum edoctos. Hoc ergo a-
 gere, hoc operari omnem consiliaque conferre debeba-
 mus, vt veritatis illam possessionem non in minimis, quod
 vulgo fit, ponentes, castis potius purisque moribus, saluta-
 ri, quae nobis affulxit doctrinae morem gerentes, ad con-
 seruandum sollicite & retinendum tantum thesaurum, ani-
 mos nostros componeremus. Laudanda est profectio &
 maximopere commendanda illorum opera, qui linguas ar-
 tesque discunt, & pectus litteris bonis innunt, ne desint
 arma, quibus tueri veritatem, & propagare, & hostium
 reprimere insultus queant. Hęc omnia vero cum illis quoq;
 praesto fuerint, qui veritatis fecere jacturā, nec ad disspellen-
 das in errantium animis densissimas, quibus obruti sunt, te-
 nebras sufficiant; ecquis est, qui dubitet, aliis adhuc armis, ali-
 is opus esse praesidiis? Praui viam sternunt erroribus mores,
 via veritatem expellunt: hisce ergo obuiam eundum vel
 maxime, haec animo eiicienda, pietati contra & virtuti
 concedendus locus, & tum quae intellectum erudiant ar-
 tes, veritatis lucem accendent, & accensam, perennem no-
 bis perpetuamque reddent. Habemus per Numinis fa-
 uorem singularem, habemus veritatem in nostris ecclesiis
 integrum, puramque, ex purissimis diuinarum litterarum
 fontibus haustam, & tot piorum ecclesiae nostrae docto-
 rum

rum monumentis expositam: sed num veritati huic mo-
rem gerimus? num obsequio vitaque ad eius normam
composita, illam curae nobis cordique esse testamur? Non-
ne ergo iustae nobis praegnantesque adsunt metuendi cau-
sae, ne pro veritate tandem subrepant errores, qui verita-
tem vilipendimus? Cumque & gentilium & Romanae ec-
clesiae prostant exempla, cum moribus turpissimis foedis-
simos errores induentum, quod veritate, quae animis il-
lorum illuxerat, non recte ad probitatem sanctitatemque
vitae vni esset, non est, cur meliora mitioraque nobis pol-
liceamur fata, nisi mutemus mentem, moresque corriga-
mus. Sed reprimit linguam dolor, & imminentium me-
tus, haud vanis forte rationibus suffultus, me conticescere
iubet.

Nunquam tam exquisitis quis veritatem concelebra-
uit laudibus, vt non longe maiores promereatur. Quod
sol orbi vniuerso est, id veritas est homini. Hoc ipsum
vero, quod ad hominum salutem felicitatemque diuina v-
nice comparata est veritas, quod demonstrauimus luculen-
ter, ad eius dignitatem omnibus patefaciendam, vel maxi-
me pertinet. Deus ipse vt omnis boni, ita & veritatis au-
ctor, innoscere eam hominibus, voluit, vt per morum
vitaeque sanctitatem, istam diuinitatis imaginem, ad quam
conditi erant, animo iterum conciperent, in eaque restau-
randa & perficienda elaborarent. Infernalis contra genius,
cuius maximopere interest, ne miseri esse desinant morta-
les, vt mores contaminet magis, vitamque polluat, id sibi
datum credidit, vt errores immitteret ac mendacia, men-
dacionum ideo auctor atque inventor. Persuasum idem
omnibus cupit, errorem pariter ac veritatem non tanti esse,

ut hanc consecrari, illum auersari, magnopere debeant, cum nec miserior multo sit, qui errat, nec felicior, qui vera cognoscit. Qua sententia, quae multorum profecto animos occupauit, nihil aut dici, aut cogitari potest perniciens. Ita obrepere sensim mentibus nostris, & hisce eas irretire illecebris conatur, ut postquam a veritate deficium, a virtutis etiam deflectamus trahi. Nec enim yllum temere inuentum, aut excogitatum contra coelestem doctrinam, errorem, asseuerare ausim, qui non ad peruertendam vitae morumque sanctitatem tandem collimaret. Eundo per sacros annales, ecclesiaeque christianae repetendo mecum fata, hoc facile demonstrare possem, nisi religioni mihi ducerem, vestra abuti patientia, & in re nra dubia, argumentis vti non necessariis. Pseudognosticos, quibuscum apostolica iam confictata est ecclesia, ecquis ignorat? qui cum semel a veritatis discesserant norma, suae comminiscendi cuncta libidini indulgentes, nihil tam turpe, tamq; foedum fuit, quod non admitterent, nec admitterent modo, sed ceu recte ac præclare factū, laudarent, defenderentq; Sed mitto ceteros: cum vel Manichæorū abunde hoc nos condoceant mores. Horum vel ipsa sacramenta horrorem incutiunt, dubiumque relinquent animum, an tantus in quemquam mortalium cadere furor queat. Idem cum paupertatem p̄ae se ferrent, diuitias consecabantur audiſſime; cumque abſtinentiam commendarent, impurissimis dediti erant voluptatibus; & sub modestiae ſpecie, truculenti erant atque ſuperbi. Hoc illis cum multis commune: ſed illud proprium, quod ſpurcicie & ſordium ſuarum praesidium in decantato iſto, de dupli, quod vocant, principio, placito quaererent; boni qui-

quidem a malo purgationem, ac liberationem, hac maxime ratione fieri contendentes, si quis impurissimis illis cupiditatibus, quam diligentissime operaretur. * Ita haud sterilis iste error, a vitae ratione, uti prima fronte videri poterat, tam longe remotus, fuit, sed cum per se foedus turpisque & in Numinis maiestatem valde iniurius esset, in istam obscoenitatem Manichaeos coniecit, qua, an maior vlla, aut execrabilior, fuerit, dicere non ausim. Origenis quoque hic in mentem veniunt sectatores, qui erroribus itidem grauissimis foeditissimos addiderunt mores, vel hos potius ex illis, ceu venenato deriuarunt fonte. Quod vitae sanctitati inservire cum primis videbatur Platonicorum scitum, corpus carcerem saltum atque ergastulum esse animae, incaute ab illis arreptum, spurcissimae foeditatis & lasciuiae apud eos extitit causa atque argumentum. ** Concludebant inde, impuritates corporis non posse animum sua priuare puritate, ideoque libidini suae frene laxantes, in quaevis criminum genera, magno se dedere impetu. Tanti est euitare errores, operamque nauare, ne vel latum vnguem a veritatis norma discedamus.

Ita enim sentio, Auditores, & ita animum induco meum, cum diuina coelitus nobis data veritas sit, ut ad vitam moresque emendandos eadem utramur, vitae rursus sanctitatem pietatemque nullam esse, nisi veritati eadem innittatur, & prorsus sit superstructa. Nullus, nec minimus caret periculo error, & qui initio a vitae commercio abesse quam longissime videbatur, per ambages tandem atque

an-

* conf. Augustinus *haeres. XLVI.*

** vid. Epiphanius *haeres. LXIII & LXIV.* add. Louis Doucain, *hist. de l' Origenisme lib. IV. p. 140.*

anfractus, ad impietatem, ceu genuinam erroris filiam, tendit. Ut enim coniuncta inter se colligataque arctissimo vinculo sunt, veritas & pietas, ita contra error cum improbitate ita plerumque coniunctus est, ut diligenti fere nequeant; nec temere aut error sit sine improbitate, aut improbitas sine errore. Non eo inficias, infectos haud raro improbitate mores habere, quorum nullo contaminata errore videtur cognitio; modo non sit contaminata, nec aliud quid profiteantur ore, aliud clausum pectore teneant, quod in plerisque, si cordis introspicere penitus concessum esset recessus, deprehenderetur; in magno tamen amittendae veritatis eos versari periculo, si quis negare velleret, nae! eum expertem rerum omnium esse oporteret, & prorsus ignorare, quam facile intellectum praetudicatae corrumpant opiniones. Probitatem vero cum errore, praesertim ipsa doctrinae coelestis summa capita, ordinemque salutis euertente, consistere non posse, dubio caret, estque hoc ex illorum numero, quae longe sunt manifestissima. Placuit enim Numinis sapientiae, diuina sacrarum litterarum luce intellectu perfuso, ad meliora perducere homines, seque ita illorum attemperare indoli ac conditioni, quae hoc prorsus exigit, vt intellectu rectiora verioraque edocto, flectatur ad saniora voluntas. Atque nisi veritate opus esset ad emendandos mores, carere facile diuinis litteris possemus, huc maxime comparatis, vt viam inde felicitatis edoceti, simul emolliamur, & a prauis ad meliora transferamur.

Quae cum ita sint, mihi legem iam pridem ipse dixi, & hanc mihi dictam constitutamque esse nunc hodierno die palam profiteor, quo prima vice verba ad vos facio, quae
con-

coniuncta inter se sunt nunquam diuellere, aut separare.
 Grauissimum humeris meis imposuerunt munus serenissi-
 mi atque benignissimi academie huius Nutritores, domi-
 ni mei clementissimi, dum ad theologiam in hac celebre-
 rima academia docendam, me euocarunt: eam doctrinae
 liberalioris partem, in qua errare non auri argentiue, sed
 animae, aeternaeque salutis iacturam perniciemque se-
 cum trahit. Erudiendi sunt iuuenes, qui alias iterum e-
 rudiant, viamque salutis & exemplum praeceant: hosce ve-
 ro in errorem inducere, hoc vero est, tot millium, qui illo-
 rum opera aut perduntur aut saluantur vitam velut mor-
 temq; in se suscipere, indeque aut poenam, aut praemium a
 Deo expectare. Diu igitur multumque cunctatus sum,
 eam an mihi paterer demandari prouinciam, quae non tam
 deterrere cordatissimos, quam horrorem incutere delicto-
 rum, quae admittere tam facile in ea, quam solemne est,
 grauitate, poterat. Eluctatus tandem sum, animumque
 precibus & fiducia in diuinum auxilium, quod nunquam,
 humili piaque mente id quaerentibus, deest, confirmavi,
 nec meis viribus, sed diuina Numinis, huc me ducentis,
 immo trahentis, bonitate fretus, laetus lubensque ac ad
 quiduis pro Dei gloria subeundum, paratus, ad tantum o-
 pus me accingo. Cuncta autem me facile superaturum
 confido, si ab ea quam praescripsi regula, nunquam disces-
 sero, veritatem cum pietate, & pietatem cum veritate
 semper esse coniungendam. Haec mihi suprema lex erit,
 hoc caput, haec summa curarum, laborum, vigiliarum; o-
 mnia dicta, omnia facta, omnia cogitata huc se referent, vt
 veritatis pietatisque regnum erigatur, stabiliatur, confir-
 metur, & quam latissime amplificetur; hoc votis, hoc su-

D

spi-

spiriis, hoc precibus a Deo impetrare, nunquam non allaborabo.

Intelligitis inde, optimi iuuenes, charissima patriae parentumque pignora, commilitones suauissimi, intelligitis, quae meae futurae partes sint: sed & quae vestrae sint, si animum aduertatis, facile cognoscitis. Pietati & veritati vos litare oportet, si tales esse cupitis, quales vos futuros, omnes boni optant & sperant. Deo vos consecratis, Deo ergo & seruire oportet: veritatem alios docturi estis, veritate itaque nihil vobis prius sit, nihil antiquius: pietatis & virtutum omnium exemplum aliis praecire debetis, si aliquando sacro & tremendo isto munere, ad quod adspiratis, recte fungi decreuistis; pietati itaque serio studeatis, adque eam omnem veritatis cognitionem referatis. Ita vestrae & aliorum consuletis saluti, ita Deo placebitis, ita parentum & patriae explebitis, immo superabitis vota. Hoc ergo agite, o! mei, & recto hoc itinere ad vere & diuinae sapientiae arcem contendite. Habebitis meducem, immo, si vultis commilitonem, tenerrimo vos amore prosequentem, vestris commodis, vestrae saluti inuigilantem. Non est, credite mihi, tam triste illud virtutis ac veritatis iter, ut multis videtur. Namque licet in commoda plurima iis subeunda sint, qui rectum in eo tenere cursum cupiunt, licet ad debellandas & domandas cupiditates magno certamine opus sit, infinita tamen diuinae sapientiae bona sunt, immensa opes, quibus recreare mentem, & incommoda cuncta pensare potest. Ego quidem facile video, quae mihi emetienda sint stadia, qui exhausti labores: sed nihil tam graue, tam arduum erit, quod non mutuus amor, vestraeque salutis studium, leue atque iu-

iucundum reddat. Tum enim maximò fructu laborum,
maximo emolumento me potitum credam, si in veritatis
& pietatis stadio, quam pulcherrime vos procurrere intel-
lexero.

Pellent taedia, leuabunt molestias, vitam omnem
vt sperare fas est, suauorem reddent, vestra, collegae ho-
noratissimi, eodem conspirantia suffragia. Vobis me so-
cium datum maximopere mihi gratulor, qui tantam eru-
ditionis & doctrinae famam iam consecuti estis, vt vobis
adiungi, non possit non praeclarum atque honorificum ha-
beri. Accedit, quod omnium in me fauor constet, voluntas-
que satis mihi perspecta sit & explorata; cum quibusdam et-
iam per multos iam annos, arctissima intercedat amicitia;
quibuscum adeo proprius coniungi, non possum non felici-
tatis singularis reputare partem. Haec ad bene sperandum
me erigunt, & animum addunt, vt vestrum exorare fau-
rem, aut precibus ambire benevolentiam, superuacane-
um ducam, cum nullus de eo dubitandi mihi supersit locus.
Cumque non possint displicere vobis mei conatus, ad ve-
ritatem pietatemque promouendam, vnice comparati,
consilio operaue quin semper mihi praefeo futuri sis, nul-
lus dubito. Ego iterum hoc vobis affirmo, vestri amore
nihil mihi iucundius, vestrorum nominum cultu ac vene-
ratione, nihil mihi sanctius fore, nullam denique testandi
erga vos animum, significandi voluntatem, declarandi af-
fectum, occasionem, me temere praetermissurum.

Nihil ergo supereft, quam vt ad serenissimos benignis-
simosque academiae huius Nutritores me conuertam, vt vi-
timo loco hoc agam, quod caput causae est, priuusq; esse
debebat, Grato namq; pioque animo merito agnoscō, sed a-

gnoscunt metum omnes boni, & quos vlla ecclesiae nostrae cura tangit, tantam sollicitudinem, quam in ornanda, tuenda, restauranda hac academia, illustri hac bonarum artium sede, demonstrant. Id enim quod ad plures pertinet, primo loco merito commemoramus, beneficium. Nemo est, qui ignoret, quanta cura serenissimi Principes hoc egerint, & adhuc agant, ut conquerant viros, qui in erudienda iuuentute, sacris praesertim muniberibus consecrata, veritate & pietate nihil prius, nihil antiquius habeant. Premunt in eo majorum suorum vestigia, serenissima capita, quorum laboribus hoc debemus, ut non modo hoc litterarum iamdiu floreat domicilium, sed ut oppressa Romanorum praesulum fraudibus veritas pietasque, redditâ orbi sit, suoque corruscat splendore. Agunt, quod principes vere magnos, vere sapientes decet, qui hanc demum solidam veramque gloriam reputant, non quam arma & bella cruenta, maximam partem iuusta, aut deuictae perdomita equegentes, sed quam administrata prudenter respublica, veritasque & pietas unicum diuinæ humanaeque felicitatis fulcrum, stabilita, erecta, confirmata, pariat. Hoc nomine omnes quoque, harum rerum intelligentes applaudunt illic, & congratulanter, & ipsa cum veritate pietas vota iungunt, ut omni felicitatis genere, eos cumulet benignissimum Nunien, & omnes veritatis pietatisque statores, ac conservatores, conseruet saluos incolimesque, quam diutissime. Ego vero, si quae propria sunt mihi, considerem, ut longe adhuc maiores causas grato deuotoque agnoscendi animo, tantum beneficium, quod me nihil eiusmodi aut sperantem, aut exspectantem, huc euocarunt, habeo: ita non verba sed facta, quibus me non indignum tanto fauore de-

mon-


monstrem, a me requiri, scio. Hoc ergo, diuina adiutus
 Numinis gratia agam, quod pietas principum, quod bo-
 norum omnium de me iubet expectatio, & ira demonstra-
 uero, nec ingratum, nec immemorem me esse eius fa-
 uoris, eius clementiae, quam tot documentis testa-
 ti sunt. Praeter istan nihil quidem aliud in meis positum
 est viribus, quam preces ad Numen deuotissimas fundere,
 quibus optimorum maximorumque principum salutem,
 perennemque felicitatem, Deo praepotenti commen-
 dem, vt florent, vt vigeant, vt ipsi quoque diuinae bene-
 dictio[n]is, eius praesertim, quae ad animum pertinet, no-
 uis indies incrementis augescant.

Haec est votorum meorum summa, quae cum ad o-
 mnes quidem referatur, tum & maxime ad SERENISSI-
 MVM IVVENTVTIS PRINCIPEM, rectorem acade-
 miae nostrae magnificentissimum, dominum nostrum cle-
 mentissimum, pertinet. Consideranti mihi voluerintque
 vitae meae rationes, id quidem neutquam in minimis po-
 nendum censeo, quod per vnde[m] & quod excedit, an-
 nos, in academia docui, cuius a primordio ad hunc usque
 diem sceptra tenet serenissimus princeps, FRIDERICVS
 WILHELMVS, regni Borussici heres: ex ea vero dum mi-
 hi discedendum fuit, in aliam commigrare Numinis pro-
 uida cura voluit, quae itidem serenissimum principem, do-
 minum meum clementissimum, caput atque rectorem a-
 gnosceret ac veneraretur. Maximam namque litterarum
 studiis dignitatem conciliat, decusque affert, & animum,
 qui illis operantur, addit, cum vident, suos rerum dominis
 adeo non sordere labores, vt ipsi velut litterato se adscri-
 bant ordini, eiusque non protectores modo, sed capita et-

iam, & rectores se constituant. Quare & sapientissimum
 consilium serenissimi principis, qui filium iuuentutis prin-
 cipem, propensa in litteratos omnes, praesertim hanc aca-
 demiam voluntate, summum academie magistratum su-
 scipere voluit, iusta mecum veneratione prosequor, & tan-
 tum fauorem & academie huic, & mihi ipsi gratulor. Iu-
 cundum itaque & pulchrum erit in conspectu, immo auspi-
 ciis tanti Principis, praescripta strenue emetiri stadia, &
 veritatis pietatisque regnum dilatare, cuius conseruationi
 & propagationi, coeleste hocce nobis datum pignus haud
 dubiis argumentis auguramur. Deus itaque TE seruet,
 SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, in
 spem augustae domus, patriaeq; & ecclesiae vniuersae; Deus
 & sapientia & mentem fortuna tua dignam TIBI largia-
 tur; Deus studiis tuis & laboribus adsit, vt litteratus, qua-
 cunque patet orbis, amplissimum aliquando inde referat
 fructum; Deus vota, quae omnium TIBI subiectorum pro
 TE nuncupat pietas, exaudiat & rata esse iubeat; Deus, fel-
 licitatis omnis & quae hoc tendit veritatis pietatisque au-
 tor, hanc quoque bonae mentis sedem, omnesque qui in
 a aut docentium munere funguntur, aut litteris ope-
 rantur, conseruet, protegat, tueatur, quam
 clementissime

D I X I.





Q. D. B. V.

**CLEMENTEM ROMANVM
ATQVE IRENAEVM
NON FAVERE MISSAE
PONTIFICIAE**

DISSERTATIONE HISTORICO-THEOLOGICA

*VIRO CLARISSIMO
IO. ERNESTO GRABIO
OPPOSITA*

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. VVILHELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,
ANGARIAE WESTPHALIAE QVE, RELIQUA,

AD D. XXIII. IVNII MDCCV.

ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTENDA
EVINCENT EDISSESENT QVE

*P R A E S E S
IO. FRANCISCVS BVDDEVS
S. THEOL. D. ET P. P.*

*R E S P O N D E N S
M. IO. GEORGIVS IOCH
S. THEOL. CANDIDATVS ET ORDINIS
PHILOSOPHICI ADIVNCTVS.*

ANNO 1705.

1. 2. 3.
CENSU
MUNICIPALIA
AT
TURINUM
NON RAVENAE MISSA
PONTIFICIA
DUCATUR IN HISTORICO TRIBUNO
IO FERNSTO ORARIO
RECTOR AGEDAE MONASTERICI
SERVATISSIMO PRINCIPALIS BONITATIS
DN AATHBII MO HENRICO
DACE ZYMONIUS TIBETANUS ETANAE AD MODERATIONE
TURKARIE APOLLONI TAVIANI RIBA
AD DAZZI TAVIANI MECENATI
EXAMINIS SUBMITTENDA
TRANSCENDENTIA PERSERVANTIA
10. FRANCISCAS BALDUS
22. THEOD. DE
10. GREGORIUS IOACHIM
2. THEOD. CAVALLIUS
10. GREGORIUS ADRIANUS
Anno 1702



Q. D. B. V.

Σύνοψις.

Intrae praecipuos ecclesiae Romanae errores, merito referunt doctrina de sacrificio missae, §. I. Quam defendere tamen ex protestantium numero adgressus est, Io. Ernestus Grabijs, §. II. triumphantibus ideo in Gallia Iesuitis, §. III. Sententia genuina Romanae ecclesiae de sacrificio missae, ex decretri concilii Tridentini, §. IV. Eadem ulterius ediscitur, §. V. Quo pacto sententia ecclesiae Romanae a Iacobo Benigno Bossueto explicetur, §. VI. Explicationis huius enarratio, §. VII. Nostrae ecclesiae sententia ex Augustana confessione, eiusque apologia, proponitur, §. VIII. Adrem ipsam transitur, & dicendorum ordo constituitur, §. IX. Tempore Apostolorum plane incognitum fuisse sacrificium missae, §. X. Incognitam quoque fuisse ipsam vocem missae, §. XI. Seculo secundo incognitum fuisse sacrificium missae, probatur auctoritate Iustini martyris, §. XII. Sententia Iustini ulterius ediscitur, atque vindicatur, §. XIII. De oblationibus veteris ecclesiae: ac quod patroni de his dicta, perperam ad sacrificium missae trahantur, §. XIV. Ex Iustini martyris dialogo cum Tryphonie Iudaco, nullum peti posse pro sacrificio missae praesidium, contra Grabijs ostenditur, §. XV. Seculo tertio oblationes pro mortuis ortas esse, quae errori de sacrificio missae occasionem dare potuerunt; frustra tamen ex iis hoc sacrificium probatur, §. XVI. Perpperam has oblationes ad

seculum secundum aut primum a nonnullis, referri: locus Pseu-
 doclementis, in constitutionibus apostolicis, excutitur, §. XVII.
 Quinam seculo quarto ex hoc rito propullulauerint errores, in
 patribus huius seculi notandi: qui tamen nondum sacrifici-
 um missae docuerint, §. XVIII. Seculo quarto & quinto nimis
 am symbolorum eucharisticorum venerationem ortam, errorem
 deinceps de sacrificio missae promonisse: adorationem tamen
 symbolorum tum nondum inualuisse, §. XIX. Probatur testi-
 monis, ostenditurque, rhetoricas patrum quarti, quinti, sexti-
 que seculi exaggerationes, cum symbolorum veneratione con-
 iunctas, ad errorum hunc progignendum aptas fuisse, §. XX.
 Summatim dicta comprehenduntur, & ad septimum seculum usq;
 sacrificium missae ecclesiae ignotum fuisse, assertur, §. XXI. In
 interuallo quod a Gregorio I. ad Leonem usque procurrit, eu-
 charistiam nondum pro sacrificio proprio sic dicto, habitam
 fuisse: quae in ceteris, doctorum huius temporis, de eucharisti-
 a fuerit sententia, §. XXII. Origo missarum solitariarum,
 §. XXIII. Opposita Romanensem sententia discutitur, §. XXIV.
 Origo adparatus missatici, vestium sacrarum &c. ubi & Ioan-
 nis Bonae bac de re sententia exploditur, §. XXV. Clerico-
 rum, praesertim Romanorum pontificum circa ritus sacros in
 celebranda eucharistia studium: quo paulo hi, ritus missatici
 ecclesiae Romanae, aliis ecclesiis obtrudere allaborauerint, §.
 XXVI. Origo doctrinae de transubstantiatione; & orta hinc
 de praesentia reali corporis ac sanguinis Christi, certamina,
 §. XXVII. Transubstantiationis dogma in concilio Lateranensi
 quarto stabilitum, plures errores circa ritus superstitiones, se-
 cum traxit, quibus ad errorum de sacrificio missae, propius
 accessum, §. XXIX. Iuonis Carnotensis, Petri Cluniacensis,
 aliorumque huius aetatis doctorum, contra sacrificium missae,
 testi-

testimonia, §. XXIX, Missatica pompa augmentum, §. XXX.
 Studium Romanorum pontificum in ritibus missaticis ecclesiae
 Romanae propagandis, quod hoc maxime tempore eluxit; mis-
 sae Mozarabicae in Hispania abrogatio, §. XXXI, Vera erroris
 de sacrificio missae origo: Thomae de Aquino, alisque schola-
 sticis, hanc sententiam fuisse incognitam, §. XXXII. Tempore
 Lutheri ante concilium Tridentinum, pontificios quosdam a-
 gnouisse, sacrificium missae, improprie saltem sacrificium dici,
 §. XXXIII. In ipso concilio Tridentino nonnullos acriter con-
 tra eam sententiam, quae deinceps recepta est, disputasse, §.
 XXXIV. Ad testimonia patrum a Grabio allata, transitur, &
 primo Clementis Romani testimonium assertur, & exponitur,
 §. XXXV. Idem contra Grabii exceptiones, vindicatur, asse-
 riturque, §. XXXVI. Quae de auctoritate Clementis subiecit,
 diluuntur, §. XXXVII. Irenaei testimonium ita assertur, ut
 simul ostendatur, cum non facere missae pontificiae, §. XXXIX.
 Idem posterius edisceretur, §. XXXIX, Irenaei sententia de lo-
 co celetri Malachiae l. 10. n. ex quo Romanenses sacrificium su-
 um missaticum probare sat agunt, §. XL. In sensum oraculi hu-
 ius diuinii, accuratius inquiritur, §. XLI. Rationes, quibus
 Romanenses sententiam suam de sacrificio missatico, ex hoc di-
 cto probare sat agunt, reselluntur, §. XLII. Reliquae eorundem
 rationes diluuntur, §. XLIII. Patrum quae de hoc Malachiae
 dicto, sit sententia? §. XLIV. Immo Iudeorum, ad quos iti-
 dem Romanenses provocant, §. XLV. Reliqua ex Irenaeo, &
 quidem ex capite trigesimo tertio, assertuntur, §. XLVI. Idem-
 que continuatur argumentum, §. XLVII. Ex capite trigesimo
 quarto nonnulla delibantur, §. XLVIII. De Grabii adhuc quae-
 dam monentur sententia, §. XLIX. Ab eodemque dicta sum-
 matim indicantur, & reiciuntur. §. L.

Interea, quibus ecclesia Romana, a puriori Euangelico-
rum coetu dissentit, dogmata, hanc ultimum omnino
locum tenet illud de sacrificio eucharistiae, quod & mis-
sam, specialiori quādam ratione voce ista intellecta, ad-
pellitare licet. Adeo quidem, ut hoc velut praecipuo
quodam symbolo atque tessera, vtrique ecclesiae addicti,
distinguantur a se, discernantur, si aut probent hoc insti-
tutum aut respuant, relictantque, hisque tam solennibus,
tam frequentibus ecclesiae istius sacris, interesse recusent.
Accedit, quod lepidum illud tot iis afferat commoda com-
mentum, tot insuper errores, ecclesiae tamen Romanae
admodum necessarios, quibus veluti fulcris quibusdam
imperii istius, quod in omnes sibi vindicat afferitque Ro-
manus praesul, machina innititur & sustentatur, secum con-
iunctos habeat & innexos, ut si ab uno alteroue capite disces-
seris, in ceteris, credo, omnibus, citius vietas Romanenses
datur manus sint, quam in hoc, quod saluum & intemera-
tum esse, tantopere illorum interest.

§. II. Eo magis itaque mirari aliquis posset, extitisse,
aut existere potuisse inter eos, qui communī protestanti-
um nomine veniunt, & paritate ab ecclesia Romana
diuortium fecere, qui non tam excusare, quam defende-
re palam, missaticum hoc sacrificium, & Lutherum pariter ac Caluinum, ob reiectum & repudiatum errorem, re-
darguere adgredierentur. Fecit tamen hoc vir ceteroquin
omni eruditioñis genere probe cultus, & antiquitatis ec-
clesiasticae peritissimus, eoque nomine inter Germaniae
nostrae ornamenta referendus, IOANNES ERNESTVS
GRABE, in recentiori ista RENAEI editioni, quae Oxo-
niae

niae anno M D C C I I eius opera studioque, prodiit. Ad librum quartum enim aduersus haereses, caput XXXII. * ita differit; Eam quam Feuardentius hic inferuit de sacrificio eucharistiae dissertationem, indeque subnexam in Lutherum, Calvinum &c. inuestiuam, omitto, quod nimis prolixa & intempestiuam sit, non quod rem ipsam inficias eam, aut subterfugiam. Certum enim, Irenaeum ac omnes, quorum scripta habemus patres, Apostolos sive coaeuos, sive proxime succedentes, sacram eucharistiam pro nouae legis sacrificio habuisse, & panem atque vinum tanquam sacramunera in altari Deo patri obtulisse: ante consecrationem quidem velut primitias creaturarum in recognitionem supremi eius super uniuersa dominii: post consecrationem vero et mysticum corpus & sanguinem Christi, ad representandam cruentam personalis eius corporis ac sanguinis in cruce oblationem, & beneficia mortis eius omnibus pro quibus offerretur, impetranda. Atque hanc non priuatam particularis ecclesiae vel doctoris, sed publicam uniuersalis ecclesiae doctrinam atque praxim fuisse, quam illa ab apostolis, apostoli ab ipso Christo edicti acceperunt, diserte hoc & sequenti XXIV. capite, docet Irenaeus. &c. Produxit ipsum ipsa testimonia, quibus hanc se euincere posse sententiam putat, de quibus deinceps dispiciemus, tandemque cum IOSEPHI MEDI librum de sacrificio Christiano anglice scriptum, eandem ob causam laudasset, subiicit; Atque huinus (MEDI) non solum sententiae, sed & voto in fine capituli VIII. expresso subscribo, atque opto, ut postquam multi pii doctique e parte protestantium viri, hunc Lutheri & Calvinierorem accacium, Apostolicae ecclesiae doctrinam agnoverunt, huic quoque sanctissimas formulas liturgicas, quibus

* p. 323.

quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis male e suis cotribus prescriptas, in usum reuocent, & hunc summum diuinae maiestati honorem debite reddant.

§. III. Non poterat profecto aut opportunius, aut speciosius insultandi ecclesiis protestantium, seque iactandi, & efferendi, argumentum, Romanensibus praeberet, qua n' tanta confidentia pro genuino antique & vniuersalitatis ecclesiae dogmate illud venditando, in quo ornando & poiendo parum abest, quin doctissimi inter eos operam, quod aiunt, oleumque, se perdidisse, existiment. Nec defuerunt sibi, tamque pulchram occasionem, antiquitatis in tanti momenti capite consensem, vel protestantibus nunc ipsis non dissidentibus, ostentandi, elabi sibi passi sunt. Iesuitico enim ordini addisti, Triuoltiensium commentariorum, rei litterariae inferuentium, autores, causas gravissimas serio triumphandi, se habuisse, putarunt. On fait, inquiunt, dum GRABII Irenaeum recensent,* avec quelle ardeur Luther & Calvin et leurs disciples ont attaqué le saint sacrifice de la messe, comme une chose absolument incornue aux premiers chrétiens. Voici cependant ce que Mr. Grabe, tout protestant qu'il est, a été obligé de reconnoître dans sa nouvelle édition. Referunt hinc ipsa GRABII verba, in lingua Gallicanam conuersa, & tum ita pergunt: Cet habile protestant en lisant saint Irenée et les autres pères, y a trouvé le sacrifice de la sainte eucharistie. Il auroit pareillement trouvé la présence réelle, & les autres dogmes de l'Eglise Romaine s'il avoit voulu les y chercher avec le même désinteressement, qu'il y a cherché celui-ci. Mais s'il est persuadé

* Mémoires pour l'Histoire des sciences & des beaux Arts m. Mai anno M D C C III. p. 353. que

que Jesus Christ a etabli le sacrifice de l' autel, que les Apotres l' ont enseigné, que les premiers chretiens l' ont pratiquée, et que c' est un culte, qui est dû à la Majesté souveraine de Dieu, comment peut il demeurer dans la communion de tant de protestans, qui font tous leurs efforts pour abolir ce divin sacrifice, et pour enlever à Dieu l' honneur qu' il en reçoit, & aux chretiens le fruit qu' ils en retirent? Ad haec quid responsurus sit, ipsa et dispiciat vir clarissimus. Nobis autem vitio non vertet, si veritatem de qua, postquam rem omnem accurate sub examen reuocauimus, nulli dubitamus, assentiam atque defendamus. Quia in re ut ordine prouehamur, initio quidem & Romanae, & nostrae ecclesiae, veram de missae sacrificio sententiam edisseremus, tum erroris originem & fata prosequemur, & tandem nec IR E NAE V M, nec CLEMENTEM R OMANVM, eidem patrocinari, demonstrabimus.

§. IV. Romanae ecclesiae quae mens sententiaque sit de sacrificio missae, abunde patet ex concilii Tridentini decretis. In his enim patres istius concilii contendunt, * etsi Christus dominus noster semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo patri oblatus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in coena nouissima, qua nostra tradebatur, reliquise eum sponsae suae ecclesiae, visibile, sicut hominum natura exigit, sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum representaretur, eiusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicare.

* sessione XXII. cap. I.

caretur. Declarasse enim se hoc ipso sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, in aeternum constitutum, & corpus sanguinemque suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulisse: ac sub earundem rerum symbolis, apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituerit, vt sumerent, tradidisse, ac eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, praeceperit, per haec verba: hoc facite in meam commemorationem, vt semper ecclesia catholica intellexerit & docuerit. Et hanc quidem sententiam suam adductis quibusdam sacrae scripturae locis, confirmare anhituntur.

S. V. Ne quis autem ignoret, quale demum sacrificium patres isti concilii Tridentini intelligent, clarius mentem suam explicant, * dum porro asserunt, quoniam in diuino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur & in cruento immolatur, qui in atra crucis semel seipsum cruentem obtulit, ideo docere synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt, si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contrita poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatum dominum, gratiam & donum poenitentiae concedere, crimina & peccata etiam ingentia dimittere. Una, inquit, eademque est hostia: idemque nunc offerens, sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit: sola offerendi ratione diuera, &c. Ex quibus quam luculentissime patet, secundum horum mentem, in missa non tantum esse sacrificium laudis & gratiarum actionis, aut commemorationem sacrificii in cruce

* cap. II.

per-

peracti, sed *sacrificium propitiatorium*, proprie sic dictum, simul tamen *incuruentum*, quo corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini Deo patri offeratur, & incuruente immoletur, cuius quidem sacrificii virtute, gratiam & peccatorum impetremus remissionem.

§. VI. Ceterum cum Tridentini patres in tanto verborum strepitu non tamen explicauerint, quaenam sit illa sacerdotalis oblatio, & in quo formalis eius ratio, vt in scholis loqui amant, consistat, mirum non est, quod in diversissimas hac de re iuerint sententias, nec de ea sibi magis constent, quam quoties de origine missae disputant, aliis a Christo eam institutam asserentibus, aliis a traditione illam accersentibus. IACOBVS VERO BENIGNVS BOSSVETVS, singulare quid commentus est, quo sacrificii istius rationem explicaret, & ita instrueret, vt a protestantibus haud difficulter, ipsius quidem opinione sententiaque, admitti queat.* Nimirum sacerdotum consecrationem hoc impetrare a Christo, vt se sistat in altari, panis & vini substantiam annihilet, speciebus eorum sese quasi vestiat, atque sub his speciebus, ceu Christi corporis & sanguinis, olim a se diuisorum, symbolis, in altari coram Deo, pro nobis compareat, & orando intercedat. Non itaque dubitat, quin ad gratiam diuinam nobis conciliandam, hoc plurimum valeat, cum nemo christianorum dissiteri queat, solam Christi assistentis praesentiam, efficacissimam esse apud Deum, pro humano omni genere, intercedendi rationem. Eum ergo, inquit, *sacrae mensae in hac mortis imagine assistentem atque apparentem Deo pro nobis intercedere credimus, patrique mortem, quam pro sua tulit ecclesia,*

* in *expositione doctrinae catholicae cap. XIV.*

perpetuo exhibere. Sacerdotes itaque offerre & immolare Christum, dum consecratione eum commouent, ut hac ratione sub speciebus, substantia sua priuatis, se Deo patri sis stat, exhibeatue.

§. VII. Recte vero cum ab aliis, tunc maxime a clarissimo viro & accurato BOSSVETI censore, DANIELE SEVERINO SCVLPTETO obseruantum, & fundamento destitui hanc BOSSVETI sententiam, & concilii quoq; Tridentini decretis, repugnare. * Adesse quidem in sacra coena Christum, eiusque & corpus & sanguinem, sub panis & vini symbolis iis, qui sacra eucharistia vuntur, distribui, concedimus, ipsique, praeceunte scriptura sacra, docemus & contemur: ast ea ratione adesse, ut consecratione facta, etiam extra usum sacrae coenae a Christo ipso praescriptum, substantiam panis & vini annihiler, vtriusque specie se exhibeat, pro viuis & mortuis intercessurus, Dei patris iram sua praesentia in sacra mensa placaturus, eiusque nobis conciliatus gratiam atque fauorem, id nec ex diuina sacramenti huius institutione colligi, nec villo scripturae sacrae euinci atque comprobari testimonio potest. Nec enim expresentia, qualem nos profitemur, talis praesentia, qualem BOSSVETVS fingit, sequitur. Praeterea, concilii Tridentini decretis haec sententia repugnat. In his enim sanctetur, Christum vero, realique, ast in cruento sacrificio Deo patri offerri atque immolari: BOSSVETVS autem dicit, Christum saltem praesentem se sistere in sacra coena, sub speciebus panis & vini, ut pro viuis & mortuis intercedat. Hoc autem an sacrificium dici queat, an recte immolari dicatur, qui se praesentem saltem sistit, vt pro aliis in-

ter-

* in antididagmate cap. XXVI, p. 358.

tercedat, iudicent, qui non omnem prorsus amiserunt rationis usum. Sed quicquid sit de sententia BOSSUETI, & aliorum quorundam recentiorum: nos ex concilio Tridentino, Romanae ecclesiae mentem sententiamque aestimamus, idque haud inuiris, ut credo, ipsis Romanensibus.

§. VIII. Nostrae ecclesiae sententia liquido constat ex Augustana confessione, * eiusque apologia. ** Et in illa quidem maiores nostri profertur, se retinere missam, hoc est, sacram eucharistiam a virtutibus & abusibus ecclesiae Romanae repurgatam, & ad diuinam Christi servatoris institutionem, exactam. Falso, inquit, accusantur ecclesiae nostrae, quod missam abolant: retinetur enim missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Quod quo pacto fit, deinde vberius exponunt. Ast sacrificii vocem de missa hic non inuenias: cuius rei rationem in appologiaréddunt, consulto se id nomine propter ambiguitatem vitauisse; Edisserunt tamen in sequentibus, accurate profecto, quo sensu missa seu eucharistia sacrificium vocari queat. Negant nimis strenue, missam aut esse, aut dici posse, sacrificium propitiatorium, cum unicum tantum in mundo fuerit sacrificium propitiatorium, videlicet mors Christi, ut constet ex Ebr. IX. 26. X. 4. 14. Ast si quis eucharistiam pro sacrificio eucharistico habeat, non repugnat. Nunc, inquit, reliqua sunt sacrificia iuxtagismata, quae vocantur sacrificia laudis, praedicatio euangelii, fides, invocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones sanctorum, immo omnia bona opera sanctorum. Haec sacrificia non sunt satisfactioes proficienibus, vel applicabiles pro aliis, quae mereantur eis ex opere ope-

B. 3
* abus. III. p. 23. ** n. XII. p. 250. seqq.

rato remissionem peccatorum, seu reconciliationem. Fiunt enim a reconciliatis. Et talia sunt sacrificia noui testamenti, ut docet Petrus. Haec postquam latius deduxerunt, & ad varia adversariorum argumenta responderunt, ad iuge tandem deueniunt sacrificium, in quo Romanenses itidem sacrificii missatici, non tam imaginem, quam argumentum quaerunt. Hic vero diserte profitentur nostri: Quanquam nos quidem facile patimur, missam intelligi iuge sacrificium, modo ut tota missa intelligatur, h. e. ceremonia cum praedicatione Euangelii, fide, invocatione. Nam haec simul coniuncta sunt iuge sacrificium noui testamenti, quia ceremonia propter haec instituta est, nec ab his diuellenda est. &c. Nimirum duo hic in disceptationem veniunt, an omnino missa sacrificium dicí queat, & an sacrificium sit propitiatorium. Id quod haud perfunctorie obseruandum existimamus. Ad prius enim maiores nostricaute respondent, posse euidem missam seu eucharistiam, sacrificium dici, & quidem eucharisticum, sed ea ratione, ut tota missa intelligatur, h. e. ceremonia cum praedicatione euangeli, fide, invocatione, & gratiarum actione coniuncta. Non ergo ipsam consecrationem, distributionem, sumptionem corporis ac sanguinis Christi, Augustana confessio eiusque apologia, sed coetus eucharistiam accipientium, preces, fidem, eleuationem mentis ad Deum, commemorationem passionis & mortis Christi, mente verbisque factam, sacrificium, idque non proprius sic dictum, sed spirituale, qualia sunt sacrificia noui testamenti, non tam sic recte appellari statuit, quam potius permittit. * Nos quidem facile patimur missam intelligi iuge sacrificium.

* add. Scherzerus in Breuiario Hulsemanniano extenso cap. XIII.
ibid. XVI, p. 868. seqq.

tium. Multo autem minus intelligit sacrificium propitiatorium, cum apologia Augustanae confessionis in eo tota sit, ut hunc errorem seu scripturae sacrae, merito Christi, & indoli totius christianismi aduersum, reiiciat, damnet, refellar, confutet. Quae cum ita sint, facile patet, quid de sententia recentiorum quorundam ecclesiae Romanae doctorum existimandum sit, qui Augustanae confessionis & Romanae ecclesiae in doctrina de missa, ad fallendos incautos, iactitare consensum, non erubescunt, quos inter eminentes ille DE ZIVS Iesuita, * cui tamen abunde, a clarissimis ecclesiae nostrae theologis, iam factum est satis.

§. IX. Sed ut proprius ad rem ipsam accedamus, iubabit originem & fata erroris, de sacrificio missae, paucis exponere. Qua in re ut ordine procedamus, certa constituemus historiae interualla, ut quo pacto a prima simplicitate sensim discessum sit, eo luculentius animaduertamus: praeente nobis exemplum IOANNE HENRICO HEIDEGGERO, ** cuius, ad ordinem quod attinet, tantisper insistere placet vestigiis. Ita veteris ecclesiae eo magis hac de re patefiet sensus, atque constabit, quam nullum in eius testimonio praesidium, cum Romanensibus inueniat vir doctissimus, GRABIVS.

§. X. Primum interuallum Christi & apostolorum complectitur aetatem. Si ergo aut ipsam Christi seruatoris spectemus institutionem, aut repetitionem eius a Pau-

lo

* in libro cui titulus: *la Reunion des protestans de Strasbourg à l'Église Romaine, également nécessaire pour leur salut & facile selon leur principes.* ** in anatomie concilii Tridentini historico-theologica part. II. p. 761, seqq.

Io apostolo * factam, qui a Domino, quae scriptis se accepisse diserte proficeret, nullum ibi deprehendimus missae pontificiae vestigium. Christus cum pane & vino, cœu corporis & sanguinis symbolis, inter praesentes distributo, sacram coenam institueret, addit: *hoc facite eis ad uincendum, in recordationem.* Non dicebat, hoc erit propitiatio Dei, hoc erit sacrificium, quo iram Numinis placare poteritis, sed ad uincendum saltem, seu recordationem, animi pii gratique fructum, a suis requirebat. Pari ratione Paulus apostolus institutionem diuinam referens, verba Christi: ** *hoc facite ad mei memoriam,* repetit. Hoc adeo luculentum est, ut aduersarii nec illo, quod speciem quandam habeat, scripturae dicto, suam comprobare sententiam queant. Hinc ad typos, ad allegorias, ne nihil omnino ex diuinis litteris attulisse videantur; confugunt: de quibus tamen apologia Augustanae confessionis recte dicit: *** *Bene cum aduersarius agitur, si patimur nos vincit allegorij: constat autem, quod allegoriae non pariant firmas probationes.* Sed id nunc non agimus.

§. XI. Necres modo, sed vox ipsa missae incognita prorsus seculo apostolico fuit, atque inaudita. CAESAREM equidem BARONIVM si audiamus, aliter pronunciandum fuerit. Iacobum enim fratrem domini hanc nomenclaturam Hierosolymitanis tradidisse auctor est, Petrum vero & Paulum, Romanis. **** Sed castigauit hunc errorrem cardinalis cetera doctissimi, ISAACVS CASAVBO-NVS, ***** Nec sane turpius se traducere poterat BARO-

NVS.

* 1. Cor. XI. ** 1. Cor. XI, 23. *** p. 259. **** in annal. ad annum XXXIV. n. LIX. ***** exercitat. XVI, ad annal. ecclesiast. Bas-
ronii n. LVIII, p. 513. seqq.

NIVS. Praeterquam enim, quod apud probatos autores, qui per annos trecentos & amplius scripserunt, nullum eius extat satis certum vestigium, quis sibi persuadeat, vocem latinam homini Ebraeo, vel Syro, originem debere? Qui enim vocis istius natales, aut in Iudea, aut in Graecia quaerunt, quod vtique faciunt nonnulli, nihil aliud agunt, quam vt suam prodant imperitiam. Constat satis inter eruditos, *& Φεστινη*, qua ex concione christiani dimittebantur, missionem seu missam dictam, eamque duplarem fuisse, vnam qua finitis sacrae scripturae lectionibus & precibus, catechumeni, & reliqui qui istis interesse poterant; alteram, qua finitis sacris & peracta eucharistiae celebracione, totus populus christianus dimittebatur. Sed ista quidem nota satis sunt. Lepidus vero prorsus est BARONIVS, dum suam ex liturgia Iacobi probat sententiam, eaque cum hodie graece ac latine legatur, persualsum nobis cupit, latina Iacobi esse, graeca alicuius interpretis. Accedit, quod liturgia ista haud dubio spuria sit & supposititia, vt post PHILIPPUM MORNAEVM * solidis rationibus demonstrat ANDREAS RIVETVS. ** IOANNES equidem BONA cardinalis, vir cetera doctus & cordatus, cum eas liturgias, quae Matthaeo & Marco tribuuntur, dubiae esse fidei contra ambages fateatur, hanc tamen quae Iacobi dicitur, vt in eandem reiiceret classem, a se impetrare non potuit: *** qua in re praecuntem sibi habuit LEONEM ALLATIVM in epistola ad BARTOLDVM NIHVSIVM. **** Sed grauissimas, quae huic liturgiae obiectae sunt, rationes, aut dissimulat,

* lib. I. de Missa & partib. eius cap. II. ** in critico sacro lib. I. cap. III. *** rerum liturg. lib. I. cap. VIII. **** quae extat in symmissis Leonis Allatii p. 176.

aut ita proponit, ut illarum vis & efficacia statim eneruetur. Quae autem ipse proponit pro sua sententia argumenta, si quid probant, hoc probant, antiquum esse istum errorem, nec hodie demum aut nudius tertius enatum, qui Iacobum liturgiae istius auctorem facit; rem ipsam plane non confidunt.

§. XII. Dicendi hic locus esset opportunus de CLEMENTE ROMANO, quippe qui seculo apostolico vixit: sed cum eius praeципue nitatur auctoritate vir clarissimus, testimonium quod ex illo adduxit, deinceps discutiemus ex instituto. Ad alterum itaque progredimur intervalum, quod a morte apostolorum usque ad Gregorii I. aetatem procurrit. Seculo autem secundo vixit IVSTINVS martyr, lueulentus scriptor, cuius eo lubentius utimur auctoritate, quod ipse ad illum inter reliquos prouocet GRABIVS. Hic ordine veteris ecclesiae ritus circa eucharistiae celebrationem ita exposuit, ut nemini in mentem venire queat, veteres sacrificium propitiatorium in eucharistia agnouisse. Iuuat ipsum hac de re audire IVSTINV M, & quidem in apologia prima pro christianis: * Nos autem postquam eum, qui credidit & assensum praebuit sic baptizauimus, ad fratres qui dicuntur, adducimus, ubi illis congregati sunt, communes preces cum pro se ipsis, tum pro illuminato & aliis ubique gentium omnibus, animo intento fusuri: ut dignissimus qui veritate agnita per opera etiam boni rerum administratores, & mandatorum custodes inueniamur, quo salute seruemur sempiterna. Precibus finitis, mutuo nos invicem osculo salutamus. Deinde ei, qui fratribus praest, offer-

* p. 124, ex editione ipsius Grabii, quae Oxoniae anno M D C C in 8. prodiit.

fertur panis & poculum aquae atque vini: quibus ille acceptis
 dñis nō dōξav tō̄ wateři tāv ḥlōw diač tō̄ óvōmat & tō̄ ūv nō
 tō̄ πνέματ & tō̄ d̄yis ἀναπέμπει. nō eūxæḡs lāv upeř tō̄ κατη-
 ξίωθαι tō̄ tō̄ πař c̄t̄s ēt̄ wōl̄ wōleit̄. laudem & gloriam
 rerum uniuersarum patri, per nomen filii & spiritus sancti of-
 fert, & gratiarum actionem pro eo, quod nō donis suis hisce
 dignatus sit, prolixo exequitur. Qui vbi preces & eucharis-
 tiā perfecit, populus omnis qui adest, acclamat, dicens:
 Amen, Amen autem voce ebraea, fiat, significat. Postquam
 autem gratiarum actionem praesidens absoluit, & populus u-
 niuersus acclamauit, qui apud nos vocantur diaconi distribu-
 unt unicuique praeſentium, ut particepet eum, in quo gratiae
 actae sunt, panem, vinum & aquam, & ad abſentes perfe-
 runt. Atque hoc alimentum apud nos vocatur eucharistia:
 quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse do-
 ctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem pec-
 catorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit,
 viuenti. Non enim ut communem panem, neque communem
 potum iſta sumimus, sed quemadmodum per verbum Deicarо
 factus Iesu Christus seruator noster & sanguinem salutis no-
 strae cauſa habuit: ita quoque eam in qua per orationem ver-
 bi ab ipso profecti, gratiae sunt actae, alimoniam, ex qua san-
 guis & carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illi-
 us Iesu & carnem & sanguinem esse, edoc̄is sumus. Nam a-
 postoli in commentariis a se scriptis, quae euangeliā vocantur,
 ita tradiderunt praecepisse sibi Iesum, ac pane accepto, cum
 gratias egisset, dixisse: hoc facite in mei recordationem: hoc
 est corpus meum, & poculo similiiter accepto, gratiis actis di-
 xisse: hoc est sanguis meus; ac solis ipsiſ tradidisse.

§. XIII. Haec I V S T I N I Verba, quanquam prolixiora,

C 2

ideo

ideo commemorauimus, quod mentem sententiamque veteris ecclesiae de eucharistia luculentissime plenissime exhibeant, nec ullum dubitandi locum cordatis, veritatisque amantibus, relinquant. Nullum autem ibi sacrificii, nedum propitiatorii, vestigium. Cumque cunctatam accurate describat, & ad minutias usque perseguatur **IUSTINVS**, cum & precum & gratiarum actionum iniiciat tam diligenter mentionem, quis sibi persuadeat, non a liquid additum eum fuisse de sacrificio, hoc quidem tam commodo loco, qui illud prorsus require videbatur, si vetus ecclesia sacrificium & quidem propitiatorium, in eucharistia agnouisset. Ne dicam quod reliqua omnia longe aliam eucharistiae faciem hic nobis exhibeant, quam missae hodie est in ecclesia Romana. Nec ipse doctissimus **GRABIVS** inuenire hic aliquid potuit, quod missae pontificiae patrocinaretur, cum haud dubio in erudita sua ad hunc locum commentatione, haud id fuisse praetermisfur. Evidet quando **IUSTINVS precum** meminit, quaerere viro docto placuit, * pro quibus siue rebus siue personis, preces fusae fuerint? cum id non exprimat **IUSTINVS**. Putat autem colligi hoc posse ex antiquissimis liturgiis, in quibus Deus oretur, ut oblationem sacrorum symbolorum benigne acceptare, ei que demissi coelitus spiritu suo sanctificare dignetur. Hic nescio an aliquid sacrificio simile nobis obtrudere velit. De oblationibus in eucharistia factis, mox dicemus: & quae earum intuitu ad Deum preces fusae sint, ostendemus, ut tamen nullam subfuisse de sacrificio cogitationem, patescat. Nectamen temere ex liturgiis interpretandus est **IUSTINVS**, cum superpositiae esse queant; saltem ea aetate compositae, qua iam

ab

* 8. 172.

ab apostolica simplicitate multi discesserant. Non autem laborandum admodum, ut sciamus, pro quibus preces fusae fuerint? cum infinitae sint & nostrae, & aliorum necessitates, quae preces tum alias, tum maxime in eucharistiae celebratione, nobis imperent.

§. XIV. Sed cum oblationum mentionem fecerit IV-STINVS, dicendum de his aliquid eo magis est, quod non nulli ex Romanensibus, quae de his loquuntur patrum testimonia, ad missae sacrificium obtorto velut collo rapiant, detorqueantque. Erat namque veteri ecclesiae in more positum, ut dominicis festisque diebus raro ad altare sine donis & muneribus accederent fideles, nisi res eis tenuis adeo esset & exigua, ut commode illud praestare non possent. Harum oblationum meminere IRENAEVs, eo ipso in loco, de quo deinceps nobis disceptandum erit accuratius, * CYPRIANVS, ** AVGSTINVS, aliquie, ne quid nunc de ORIGENE & variis, in quibus commemorantur conciliis, dicam. *** Constanter namque per plura secula mos iste in ecclesia permanxit. Sexto vtiique seculo synodus Matisconensis decreuit, ut viri & mulieres omnes, singulis diebus dominicis panem & vinum ad altare deferant, & per has oblationes a vinculis peccatorum soluantur. Suntque, qui ex sequentibus seculis FLACCUS, ALCVINI, AMALARII FORTVNATI, WALAFRIDI STRABONIS, aliorumq; id comprobant testimoniis.**** Quemadmodum autem quae offerebant munera non eius-

C 3

dem

* lib. IV. aduers. haeres. cap. XXXIV. ** lib. de opere & eleemosyna p. m. 141. edit. quae Amstelodami anno MDCC prodiit.
*** dictum quoque iam a nobis aliquid bac de re est in praefato parerg. historico-theolog. p. 15. **** vid. Kortholtus not. ad Iustini apol. p. m. 41.

demerant generis; namque praeter panem & vinum, flo-
uas spicas, vuas, oleum ad luminaria, & reliqua obtulisse
constat; ita virtuti veterum christiano rum erat conueni-
ens, votis piis eos prosequi, qui suum hac ratione demon-
strabant amorem, Deumque precari, spiritualium dono-
rum concessione, ut istud officiorum genus cumulate ite-
rum compensaret, sicuti ii ipsi, qui offerebant ea, ut gratum
acceptumque esset Deo hoc officium, merito in votis ha-
bebant vnicē. Hinc preces ortae sunt solennes, quibus v-
ti in ecclesia tum mōris erat, quarum in missali Romano
conseruantur formulæ, tempori quoque accommodatae.
Ut in festo natali: *O! Domine haec munera nostra nativitatis*
bodiernae mysteriis apta reddantur: & dominica quin-
ta post pascha: suscipe Domine fidelium preces, cum obla-
tionibus eorum &c. * De his oblationibus notat GABRIEL
ALBASPINAEVS ** partem earum sacris v̄sibus ab sacerdote
in altari destinatam, reliqua pauperibus atque ministris ec-
clesiae cessisse, aliquas tamen ex iis particulæ viritim in ec-
clesia fuisse distributas, ut significaretur, omnes fideles
sub uno eodemque capite, & de eodem corpore esse, vt
omnes de eodem pane sumerent ac ederent: id quod CY-
PRIANI atque AVGUSTINI testimonii comprobant. Hae
itaque oblationes licet ab indole sacrificiorum longissime
fuerint remotæ, in eo tamen cum sacrificiis conuenerunt,
quod ipsi Deo offerre haec munera censebantur, quae a-
liorum hominum v̄sibus erant destinata; quemadmodum
frequentissimum est, quae aliis ex amoris officio præstan-
tur, ita interpretari, ac si Deo ipsi exhibeantur, præeunte

qui-
* add. Ioachim Hildebrandus in *sacris publicis veteris ecclesiæ*
*cap. de veterum eucharistia p. 6. ** lib. I. obseruat. V.*

quidem ipsa scriptura sacra. Cumque hac ratione antiqui ecclesiae doctores de ista consuetudine loquantur, incauti induci fortassis in eam sententiam possent, ac si sacrificium nescio quod, in sacra eucharistia statuant, cum tamen non de ipsa eucharistia, sed de his oblationibus verba faciant, & hae ipsae non nisi ad modum incommoda & *antiquas* sacrificii nomine venire queant. Atque haec probe obserualse, nostra magnopere interest, ut ex sequentibus adparerit.

S. XV. Priusquam **I V S T I N V M** dimittam, facere non possum, quin vnicum adhuc addam. Ipse vir clarissimus, **G R A B I V S**, dum ad **I V S T I N V M** prouocat, causae suae non satis firmum praesidium ex apologia martyris pecti, facile videns, cum tamen hic ex instituto **I V S T I N V S** de eucharistia agat, dialogum eius cum Tryphone iudeo ita subiungit, ut ex eo certiora hauriri posse, subinnuat. *Diversete*, inquit, * hoc docet Irenaeus, atque ante ipsum Iustinus martyr, partim in apologia prima ad Antoninum, clarius vero & prolixius in dialogo cum Tryphone Iudeo. Ast vero utri in apologia ista ne verbum quidem occurrit, quod missae pontificiae faueat; id quod ex dictis abunde constat: ita pari ratione nec in dialogo cum Tryphone quamquam, quod pro Romanensibus faciat, inueniri, faciliter demonstrari potestratione. Verum est, & eucharistiam sacrificium, & christianos omnes, qui ea vtuntur, sacerdotes vocari, quando ita **I V S T I N V S** verba facit: ** *Vniuersos igitur, qui per nomen istius (Dei) sacrificia offerunt, quae Jesus Christus fieri tradidit, hoc est, in eucharistia panis &*

* ad Irenaei, l. c. p. 333. ** in dialogo cum Tryphone Iudeo, p. m.
344.

talicis, quae in loco omni a christianis sunt, praevertens Deus,
 gratos sibi esse testificatur. Sed quanam intelligat sacrificia,
 mox ipse explicat. Cum enim subiecisset, Deo sa-
 crificia Iudeorum displicuisse, pariterque eorum adduxis-
 set exceptionem, gratas tamen Deo esse preces Iudeo-
 rum, hinc inde dispersorum, tum porro addit: ὅτι μεν εἰ-
 ναι εὐχαὶ, καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν δέξιων γνόμεναι, τάλεις μόνοι
 καὶ εὐαγγεῖοι εἰσι τῷ Θεῷ θυσίαι, καὶ αὐτοὶ Φηνι. Supplicationes
 simul & gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, so-
 las perfectas esse & Deo caras victimas, ipse quoque affirmaverim.
 Has vero tum porro inquit, solas facere christiani
 didicerunt, in ipsis etiam almoniae suae recordatione, ari-
 dae iuxta & liquidae. Diserte hic docet, sacrificia, quae
 christiani in eucharistiae celebratione Deo offerunt, esse
 preces & gratiarum actiones, id quod & nos doceamus, at-
 que confitemur. Nec ullum aliud christianorum, praet-
 er preces & gratiarum actiones, agnoscit sacrificium. Si
 autem agnouisset, cur hoc tam commodo loco eius non in-
 iecit mentionem? Disputat contra Iudeum, animusque
 illi est probare, cultum christianorum rectiorem esse, praef-
 stabilioremque, cultu Iudeorum: sacrificiis illorum op-
 ponit meliora christianorum. Hic si habuissent christia-
 ni propitiatorium in eucharistia, non profecto potuisset
 haec praetermittere, cum de ipsa eucharistia verba faciat.
 Ast nullum ibi de tali sacrificio verbum. Tantum pre-
 ces & gratiarum actiones hominum piorum, tanquam so-
 lae perfectae & Deo carae victimae, commendantur. Haec
 tam manifesta sunt, ut mirer, viros doctos ecclesiae Ro-
 manae addictos talia legentes, errorem suum non agnolre-
 re, sed magis profecto adhuc mirer, eos ad sententiam su-
 am confirmandam, ad IUSTINVM prouocare. Et ita de
 reli-

qui^s quoque, quae ex iustino afferri possent, documentis, censendum. * Namque semper sibi constat sanctissimus martyr, & non aliud quam precum, & laudis sacrificium, in eucharistia agnoscit.

§. XVI. Ita ergo de seculo secundo constat, missae sacrificium, quale Romanenses fingunt, plane in eo incognitum fuisse. De tertio seculo idem fidenter & citra ambages assero. Ritus tamen quosdam & instituta veterum christianorum tum inualuisse notum est, per se quidem profecto innocentissima, & a Romanae ecclesiae superstitione quam longissime remota, quae tamen occasionem deinceps huic, qui istam ecclesiam inualit, errori, praebere potuerunt. Oblationes pro mortuis innuo, quarum primus mentionem iniicit TERTULLIANVS iam montanista factus, libello, quo a secundis nuptiis dehortatur, ita verba faciens: *Repete pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annas reddas. Stabis ergo ad Deum, cum tot uxores, quod illi orationes, commemoras. Et offers pro duabus, & commemorabis illas duas.* Ad quae verba BEATVS RHE-NANVS haec notauit: *ab his annuis oblationibus nata videtur anniuersaria illa defunctorum parentalia, quibus hac tempestate sacerdotes praeципue distinguntur.* Constat igitur, primo quidem oblationes pro mortuis in veteri ecclesia fuisse visitas, easque iam tempore TERTULLIANI admodum frequentes, immo iam ea aetate illas fuisse annuas, hoc est singulis annis die emortuali repetitas. Haec ita se habuisse, libens fateor, nec tamen ullam inde sententiae pontificiorum de sacrificio missae, robur accedit. Harum enim oblationum pro mortuis longe alia erat ratio, ac

D

isti

* conf. insignis eius locus, qui extat p. m. 269.

isti quidem sibi persuadent. Namque si quis pie & placi-
de in Christo seruatore nostro vita functus esset, non tan-
tum honestae sepulturae tradebatur, sed amici insuper de-
functi, parentes, liberi, coniuges, oblationes nomine de-
functi, more, eo tempore consueto, de quo supra diximus,
perinde ac si adhuc in viuis esset, ad altare deferebant, of-
ferebantque in argumentum & testimonium, quod *defun-
cti, ecclesiasticae communionis participes deceperant*, vt ex
GEORGIO CALIXTO* recte docet **IOACHIMVS HIL-
DEBRANDVS.** ** In quamcunque itaque se vertant par-
tem, qui secus sentiunt, non possunt missae sacrificium, &
quidem pro mortuis hinc exculpere. Oblationes enim
istas generatim non habuisse indolem sacrificii proprie sic
dicti, & quidem propitiatorii, iam supra euicimus. Pro
defunctis autem dum offerebantur, non ideo id siebat, ac
siira forte Numinis erga defunctos hac ratione placanda,
aut poenae, quibus excruciantur, mitigandae essent, sed
in testimonium ac documentum, mortuum in ecclesiae
communione deceperant. Namque & hoc inter alia com-
paratae erant etiam viuentium oblationes, vt si cuius ac-
ceptarentur oblationes, inde ceu criterio constaret, eum in
communione ecclesiae esse, sin respuerentur, secus de eo
iudicaretur. Constat hoc vel **exIRENAEO**, cuius notum
illud: *offerens commendatur suo munere, si ecclesia munus ei-
ius acceptet.* Neque enim quibusuis offerendi munera sua
olim concessa erat potestas, sed si qui palam impii essent,
aut adhuc in poenitentiam ordine constituti, horum non
acceptabantur munera. Id quod pluribus quoq; comprobat
GABRIEL ALBASPINAEVS. ***

§. XVII.

* *de sacrificio missae thesi XXVI.* ** *in offertorio primitivae eccl.
siae pro defunctis cap. VII. §. VI. seqq.* *** *lib. I. obseruat. V.*

§. XVII. Solent equidem nonnulli oblationes pro mortuis ad seculum secundum, immo iam ad seculum pri-
mum, referre. Quos licet facile suo pati queamus abun-
dere sensu, cum nostrae nihil hoc obstat causae, & ex istis
oblationibus nondum sequatur sacrificium missae: res ta-
men ipsa docet, falli eos magnopere. Prouocant namque
ad apostolicas, quas vocant constitutiones, quarum aucto-
rem CLEMENTEM Romanum ferunt, qui pro defunctis ita
offerre docet: *πέτι ταξοφέροντις ηγετάντων τῶν ἀπό-
σταλην εὐαγγεστησάντων σαιδύλων πατερικούς &c. Adhuc offeri-
mus tibi pro omnibus sanctis, qui a seculo placuerunt tibi, pa-
triarchis, prophetis, iustis, apostolis, martyribus, confessori-
bus, episcopis, presbyteris, diaconis &c. Sed res ipsa docet,
offerre hicdem esse, ac orare. Namque in eodem capite
verba παραγόμενα & παραγνάθησαν, auctor saepe promiscue
vulparat. Et in sequenti capite ** eodem fere sensu dicit:
τῶν ἀγίων μαρτύρων μνημονέουσοις sanctorum martyrum memo-
res simus, ut digni habeamur participes fieri eorum certaminis.
Vnde etiam liquet, quo sensu veteres pro defunctis oraue-
rint, non quidem ac si existimauerint suas defunctis prodef-
se preces, sed quod eorum in memoriam sibi reuocauerint
virtutes, proque iis & gratias Deo egerint, & simul eundem
precati sint, ut diuinum illis largiretur spiritum, cuius pre-
sidio ad istud virtutis, quod beate defuncti reliquerant, se
componere exemplum, eorumque premere vestigia pos-
sint. Etenim non eo comparatas has preces fuisse, ut ani-
mae defunctorum ex purgatorio liberarentur, vel inde li-
quet, quod pro patriarchis, prophetis, apostolis, martyri-

D 2

bus,

* libr. VII, constitut. apostolic. cap. XII. p. m. 403. ex edit. Cotelerii
in scriptis eius parrum apostolicorum, Tom. I. **. XIII.

*tus, sanctis, obtulerint, vt verba pseudo-CLEMENTIS habent, quos aliorum precibus ex purgatorio liberandos fuisse, nemo dixerit. Quicquid huius sit: nobis nunc sufficit, quod nullum missae pro defunctis in his verbis pseudo-CLEMENTIS occurrat vestigium. Et si vel maxime occurreret, nondum ideo causa caderemus. Constat enim hodie inter omnes, constitutiones illas, vt vocantur, apostolicas, falso nomen CLEMENTIS praferre, ne ipsis quidem dissentibus ecclesiae Romanae patronis. Ipse namque BELLARMINVS * nullum eas in ecclesia latina nomen habere dicit: easdemque vt adulterinas reiiciunt PETRVS HALLOIXIVS, ** atque DIONYSIVS PETAVIVS, *** nec diffitetur BARONIVS eas apocryphas esse. **** Immo natales earum ad seculum tertium refert, DAVID BLONDEL-LVS, ***** ad seculum quintum HERMANNVS CONRIN-GIVS, ***** ad sextum IACOBVS VSSERIVS. ***** Sed rem istam plane iam confecerunt alii, ***** vt hisce diutius immorari necesse non sit.*

§. XVIII. Prouocant quoque ad IRENAEVM, qui originem oblationum pro mortuis, ad seculum secundum refe-

* descriptor ecclesiastic. p. 39. ** in not. ad vitam Polycarp. cap. VI. & ad vitam Ignatii cap. II. *** libr. II. de doctrina temp. cap. LVII. **** ad annum XXXII. n. XVIII. & ad annum XLVI. num. XIII. ***** in apolog. de Episcop. & Presbyt. scđt. III. p. 231. ***** in animadot. de purgator. n. XXXII. ***** in annotat. ad Ignatii epist. cap. VII. seqq. ***** conf. omnino Caspar Zieglerus, in dissertat. de iuris canonici origine & incrementis, Lanciotti insit. iuris Canonici praemissa §. XVII. ubi et diuersas de constitutionibus istis sententias refert. add. et Andreas Ruetus, in critico sacro lib. I. cap. II. Robertus Cucus in censura scriptor. quor. veter. p. m. 28.

referunt. Sed licet IRENAEVS oblationum sacrarum mineat, id quod ex dicendis palam fiet, oblationum tam pro mortuis apud eum iterum nullum deprehenditur vestigium. Quare certum hoc & extra controveriam positum, seculo demum tertio hunc morem in ecclesia inuulisse: qui magnis deinde erroribus occasionem dedit. Etenim iam seculo quarto nonnulli in eam ingressi sunt sententiam, ex hisce oblationibus emolummentum aliquod ad animas defunctorum redundare. Dilerte namque ATHANASIVS, * animas mortuorum ex viuorum oblationibus & orationibus multa & magna beneficē percipere, asserit. Et AMBROSIVS ** Faustinum hortatur, ut non moestificet sordorem mortuam lacrymis, sed potius oblationibus animam eius Deo commendet. Ut reliqua nunc taceam, ab aliis iam magno studio collecta. *** Ait AVGUSTINI non possumus praetermittere effatum, quo eiusmodi oblationes pro mortuis prolixè commendat, quodue extat in eius libello de cura pro mortuis: **** Ne existimemus, inquit, ad mortuos, pro quibus curā gerimus, peruenire, nisi quod pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificiis solenniter supplicamus, quamvis non pro quibus sicut omnibus prosint, sed iis tantum, quibus dum viuunt, comparatur, ut prosint. Sed quia non discernimus quinam bi sint, oportet has oblationes pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum praetermittatur, ad quos haec beneficia & possint & debeant peruenire. Ex quibus aliisque colligas, iam seculo quarto multos patrum, errore de purgatorio suis infectos: quod non mirabitur, qui secum cogitauerit, hoc tempore ex philosophia Platonica in ec-

D 3

cle-

* qu. XXXIII. ** ep. VIII. *** conf. Hildebrandus l. c. cap. VIII. qd.
praeceps, & alia suppeditabit. **** cap. vlt.

clesiam eum fuisse traductum, simulque viam veluti aper-
tam esse ad alium errorem, videlicet de missae sacrificio.
Ast ipsos istos quarti seculi patres iam missam pro sacrificio
quodam propitiatorio pro viuis pariter ac pro mortuis ha-
buisse, nondum inde probari potest. Enimvero cum more
antiquo ex oblationibus fidelium eucharistia conficeretur,
vti supra obseruauimus: ita etiam quin idem in oblationi-
bus eorum pro defunctis, factum fuerit, dubitari non pot-
est, nec veterum dubitare nos simunt testimonia. Haec
poterat eucharistia funebris dici, ad quam qui exequias iue-
rant, vel munera obtulerant, admittreabantur. Quorsum
nonnulli * referunt illud AVGUSTINI de funere matris suae
Monicae verba facientis: ** Ecce corpus elatum est, imus
& redimus sine lacrymis: nam neque in eis precibus, quas ti-
bi o! Deus fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium precii
nostrri, iam iuxta sepulchrum posito cadavere, priusquam de-
poneretur (sicut illic fieri solet) ego steti, sed toto die moestus e-
ram. Celebrabatur itaque in funerum solemnis eucha-
ristia, non quidem ut sacrificium propitiatorium esset pro
mortuis, sed vt ad ardentiores preces, qui eidem intere-
rant se inuicem accenderent, quibus & abundantioriem di-
uini solatii vim impetrarent lugentes, & aliis, immo defun-
ctis leuamen aliquod afflictionis, qua forte premerentur,
obtinerent. Namque opinionem de statu medio animarum
post mortem, eo tempore increbuisse, vti iam supra ob-
seruauimus, neutquam negauerim. Frequens hinc a-
pud veteres locutio, offerre sacrificium, vel offerre Christum,
qua tamen nihil aliud designabant, quam in sacrae coenae
cele.

* Calixtus de sacrificio Missae thes. XXXVIII. & ex eo Hildebran-
dus l. c. cap. VIII. §. IX. ** lib. IX. confess. cap. XII.

celebratione preces ad Deum fundere, quibus ob mortem
& passionem Christi seruatoris spiritualia dona tum pro se,
tum pro aliis, a diuina impetrare benignitate, qui eas fun-
debat, annitebantur.

§. XIX. Praeterea nimia symbolorum & rituum, qui-
bus eucharistia celebrabatur veneratio, seculo cum primis
quarto atque quinto inualescens, magnis istis, qui dein-
ceps ecclesiam inuasere, erroribus, occasionem dedere.
Praeterquam enim quod & adoratio symbolorum & trans-
substantiatio, quam vocant, inde fluxerint: facile qui de
externis hisce ritibus actibusque nimis praecclare ac magni-
fice sentiebant, in eam induci poterant opinionem, inesse
istis vim quandam placandi Numinis iram, hominumque
peccata expiandi. Proni admodum sua natura homines
sunt ad eiusmodi quid sibi persuadendum. Delectantur
enim vitiis suis, eaque per veram poenitentiam fidemque
in Christum, exuere nolunt: interim spe beatitudinis &
aeternae felicitatis, seipso semper, & lubentissime deci-
piunt. Hoc ne omni fundamento destitui videatur, ex-
ternum Numinis cultum aude arripiunt: praesertim si
quid in eo occurrat, quo existiment, placari Numinis iram,
seque peccatorum remissionem, etiam sine vitae morum-
que emendatione, obtinere posse. Quare si quos actus
prae ceteris commendari in diuino cultu vident, iis eius-
modi expiandi crimina vim promptissime tribuunt; quae
vera ratio fuit, sacrificium aliquod propitiatorium, diuinis
litteris ignotum, in ecclesiam introducendi. Non itaque
errant, qui inter causas erroris de sacrificio missae nimiam
istam symbolorum venerationem, patrum antiquae eccl-
esiae, referunt. Venerationem, inquam, non adorationem,

Hanc

Hanc namque in hoc, de quo nunc loquimur, interuallo, iam in ecclesia obtinuisse, neutiquam concessero. Esto enim, λατρεία vocem de eucharistia ab EVSEBIO aliisque adhiberi, quod nonnulli vrgent, & εἰνὶ τῇ θεῷ λατρεῖαν, idem esse atque ad sacram synaxis conuenire, ἀναμνήσαν λατρείαν de sacra eucharistia intelligi, nihil inde tamen proficiunt, qui secus sentiunt. Namque non oblatione ntelio cuius incurrēti sacrificii, sed digna mortis domini commemorationis, cum precibus & gratiarum actione coniuncta, haec est λατρεία illa Christianorum, a patribus designata, hic cultus soli Deo conueniens. Recte CYRILLVS: * καταγγέλλοντες τὸν κατὰ σάρκα θάνατον τοῦ μονογενούς ως τῇ θεῷ, τὴν αναμνήσαν ταῖς ἐκκλησίαις τελευτεῖ λατρεία. Annūciantes mortem secundum carnem unigeniti filii Dei, incuruentum in ecclesiā cultum peragimus. Similia habet GREGORIVS NYSSENVS. ** EVSEBIVS autem, quam proculab ea, quam Romanenses & de symbolorum eucharisticorum adoratione, & de sacrificio missae, fouent, sententia, absuerit, demonstrari facilis negotio posset, *** si id nunc a nobis exigeretur. Praestiterunt autem hoc iam alii, & imprimis IACOBVS BASNAGIVS, **** vir eruditus, qui hoc tempore ista adorandi consuetudine & superstitione, ecclesiam nondum infectam fuisse, abunde & luculenter euicit.

§. XX. Quod vero diximus, nimiam symbolorum venerationem, & hinc porro ortam patrum quarti, quinti,
et se-

* in epist. ad Nestor. Att. concilii Ephesini p. 80. ** de scopo Christiani tom. III. p. 299. *** Interim vid. omnino lib. I. demonstrat. euangel. cap. X. p. m. 39. **** dans l' Histoire de l' église lib. XVII. cap. V.

& sexti seculi, rhetoricae exaggerationem, occasionem dedisse errori de sacrificio missae, qui deinceps inualuit, id paucis nunc comprobandum est. Sufficeret autem vel AMBROSII effatum, quod & ceteroquin frequens est in ore Romanensem, si ex horum hoc interpretandum esset mente sententiaq; Hic vero adorate, inquit, scabellum pedum eius. Scabellum caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in domino Iesu adorarunt. Quid sibi velit Mediolanensis antistes, clarius explicat discipulus eius AVGVSTINVS: **
 Conuerto me ad Christum & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra scabellum pedum domini. Suscepit enim de terra terrarum, quia caro de terra est, & de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est, quomodo adoretur tale scabellum domini, ut non solum non peccemus adorando, sed & peccemus non adorando. Maximum in hisce effatis pro eucharistiae adoratione se inuenisse praesidium, existimat etiam acutissimi Romanensium. Adeo ut IACOBVS BENIGNVS BOSSVETVS, *** qui ante finem seculi quarti inuenire nihil potuit, quo hanc adorationem stabiliret, haec AMBROSII atq; AVGUSTINI effata primo loco in aciem proferat, iisque ceu clypeo quodam, causam desperatam tegat ac tuteatur. Vtique si patres isti per scabellum pedum intelligent ipsa symbola, non omnino nihil dicent Romanenses. Nec tamen ideo victoria in illorum partes concederet, cum ipsa contra confessio, tribus, immo quatuor prioribus seculis hanc symbolorum adorationem ignotam fuisse.

* de Sp. Sancto lib. III. cap. XII. ** in Psalm. XCVIII. *** explicatur de la Messie. p. 142. 143.

se, longe maius nobis praesidium afferret, quam illis haec
testimonia. Et tum quidem dici posset, intempestiuam
symbolorum venerationem, & ex ea ortam ineptam scri-
pturae ad eucharistiam detractionem, eos in hunc errorem
praecipites dedisse. Sed accuratius tamen rem omne n-
penitentibus, patebit, non id patres illos dicere, quod vo-
lunt Românenſes. Non enim dicunt, symbola externa
adoranda esse, sed carnem Christi, quam in sacramento eu-
charistiae, & alias quoque, adorandam esse, & nos censemus.
Quicquid huius sit, luculentius adhuc exemplum,
quo nostram confirmare sententiam queamus, suppeditat
DIONYSIUS ille Arcopagita, cuius sexto decimum seculo
innouisse scripta, multorum fert opinio. Hic enim sa-
cram ita alloquitur eucharistiam: * O diuinissima & sacra
ceremonia (τελετή) ostende nobis perspicue obductam tibi per
signa obscuritatem (τὰ προκείμενα τοι σύμβολα τὰ ἀμφίστημα
τὰ διηγυμάτων) & singulari lumine mentis nostrae oculos
imple. Ad quem locum **PACHYMERES** ita commentatur:
ceremoniam hanc alloquitur ac si animata sit (δύνη ὡς ζωύχος
διαλέγεται) & non abs re, ut **Gregorius Theologus**: O! san-
ctum & magnum pascha! Et eiusmodi sacra ceremonia domi-
nus noster Jesus Christus, ad quem sermonem habet. Cum
ergo **DIONYSIUS** per apostrophen sacram eucharistiam allo-
quatur, nec mitioribus figuris vterentur reliqui patres,
quoties de hisce sacris verba facerent, & suum affectum
& venerationem hac ratione prodentes, & populum ad
parem venerationem excitaturi, quis dubitet, incutis sae-
pius eohisce loquendi formulis, errandi praebuisse occa-
sionem. Ad obscurandam veritatem, erroresque varios

pro.

* de Hierarchia cap. III.

progignendos, nihil accommodatus, quam declinatorius
illorum stilus, quorum magna apud populum est auctoritas. Horum enim cum oracula censeantur verba, si ea-
dem, quod saepe contingit, proprie capiantur, quae figu-
rate ipsi intellexerant, nihil sere tam obsonum est, & a ra-
tione alienum, quod non sub veri specie, hominum ani-
mis obtrudatur. Frustra equidem Romanenses ad hunc
DIONYSII locum prouocant, vt inde adorationem eu-
charistiae probent, * cum vel satente **PACHYMORE** sit apo-
strophe, qua vi haud sane infrequens fuit horum temporum scriptoribus, vt vel **GREGORII** exemplo ipse **DIONYSI**
commentator, recte docet. Addi posset **AMBROSIVS**, qui
eadem ratione baptismum alloquitur : ** *O aqua! quae
humano adpersum sanguine, vt praesentium lauorum fe-
gura praecederet, orbem terrarum lauasti: O aqua!* quae sa-
cramentum Christi esse meruisti, quae lauas omnia, nec laua-
ris &c. Cuiusmodi & alia passim occurunt. Audiant
autem talia imperiti & rudes, aut ob eloquentiam ac au-
toritatem oratoris attoniti: quorsum non tandem abri-
pientur! Audiant *santissimam, diuinissimam*, eam ceremoniam
vocari, qua eucharistia celebratur, quid facilius, quam
vt in eam ingrediantur sententiam, aut ipsa diuinitate qua-
dam pollere symbola, aut horum rituum miram esse effi-
ciam, quae & per se Numinis placare iram, hominumq;
expiare crimina, possint? Hanc enim, quod supra euicimus,
efficiam, vt ritibus sacris, praesertim illis, quos extollit
magnopere & commendari vident, mortales tribuant, pro-
ni admودum sunt. Iam ergo postquam semel ipsis ritibus

E 2

talem

conf. Gerhard. **LL. theolog. de sacra coena cap. XIX. §. CCVIII.**** add. Basnage. **Hist. de l'eglise lib. VII. cap. VIII.**

talem vim expiatricem inesse sibi homines perluadebant, nihil aliud supererat, quam ut sacrificium aliquod propitiorum in iis quaererent, cum vel veteris testamenti lectio ne constare poterat, ea ad crimina hominum, sed propter illud sacrificium, cuius referebant umbram, & quod Christus in arâ crucis pro nobis obtulit, expianda, comparata fuisse.

§. XXI. Summatim & vnico velut fasce completemur, quae de secundo hoc interuallo exposuimus hancen. Nullum ex primis hisce seculis ad septimi initium usque, produci testimonium potest, quo probetur, veteres christianos sacrificium propitiatorium in eucharistia sacra agnouisse. Multa contra, aliter eos censuisse, produci possunt. Patres doctoresque veteres, si forte sacrificii vocem de eucharistia adhibuerunt, aut de sacris oblationibus locuti sunt, aut preces & gratiarum actiones, piosque animi motus, quibus Deo se offerunt, qui rite eucharistia sacra vtuntur, intellexere, aut ideo eucharistiam sacrificium adpellarunt, quod per eam sacrificium mortis & passionis Christi exhibeatur, nobisque reuocetur in memoriam. Id quod cum perse manifestum sit, tum ex luculentis EUSEBII, * CHRYSOSTOMI, ** CYRILLI, *** THEODORETI, **** AVGUSTINI, ***** aliorumq; comprobari testimo niis posset, nisi superiuacaneum esset, in re non dubia, argumentis vti non necessariis, praesertim cum iam ab aliis, maxime autem a PETRO MOLINAEO, hoc a-

* lib. I. demonstr. euang. cap. X. ** homilia XVII. in epist. ad Hebraeos. *** lib. XII. in Ioannem cap. LVIII. **** in cap. VIII. ep. ad Ebr. ***** lib. I. contra aduersar. leg. & propb. cap. XVIII. & lib. XX. contra Fanfum cap. XXI. & alibi.

ctum sit abunde. * Inualuerunt tamen seculo prae-
sertim quarto, & quinto, nonnulli ritus, instituta, opi-
niones, quae tum aliis circa eucharistiam erroribus, tum &
sententiae de sacrificio propitiatorio, occasionem praebu-
ere. Quos inter ritus eminet oblatio pro mortuis, praecipuum
sacrificii missatici praeludium, licet hoc tempore
ad huc ab indole eiusmodi sacrificii aliena. Accessit vero
& nimia rituum, ceremoniarum, & declamatoria exagge-
ratio, & symbolorum veneratio, quibus ut ab apostolica sim-
plicitate & puritate desisterent, facile induci homines po-
tuerunt. Et haec si probe obseruentur, diiudicari facile
posunt, quae IOANNES HEINRICVS HEIDEGGE-
RVS de secundo hoc interualllo afferit: ** non accessisse quid-
piam magni momenti ad apostolicam celebrandi eucharisti-
am, rationem, quod aut varietate onerosum, aut vanitate lu-
dicrum esset. Etenim apostolos, monente ipso GREGO-
RIO *** orationem tantum dominicam in hoc mysterio
adhibuisse, idque ex diuino seruatoris praecepto, quod &
alii ex veteribus, & nonnulli ex ipsis Romanenibus ut DV-
RANDVS, ANTONIVS, PLATINA, agnoscant. ****
cap. §. XXII. Tertium interuallum idem a Gregorio I.
ad Leonem usque, adeoque ab anno Christi DC. usque ad
DCCCL constituit. Illudque in gestibus, vestibus, alta-
ribus, palliis, corporalibus, praefationibus, similibusque,
superstitiosa satis multa obtrusisse, obseruat. In illis tamen
tenebris nondum pto veri nominis sacrificio habitam fuisse

E 3

mis.

* in nouitate papismi, qui liber Iacobo Davidi Perronio, Cardina-
li, oppositus, gallice & germanice extat, artic. X. cap. IV. p. m.
989. seqq. ** in anatomie concilii Tridentini part. II. p. 761. ***
lib. I. epist. VII. **** add. Martinus Chemnitius in examine
concilii Tridentini ad session. VI. p. 346.

missam, doctrinaeque de sacra eucharistia puritatem aliquatenus, per BE DAM, ISIDORVM, DAMASCENVM, ALCVINVM, AMALARIVM, RABANVM, CHRISTIANVM, DRVTHMARVM, HAYMONEM, aliosque, fuisse conseruatam. Et sane dubito, an ullum quod momentum trahat pro sacrificio missae, & huius interuersi scriptoribus, proferrit testimoniumqueat. Saltem receptam in ecclesia nondum hanc doctrinam fuisse, velinde constat, quod post hanc aetatem magni nominis extiterint viri, quibus ne leuisima quidem haereticos labes adpersa fuit, qui eucharistiam pro sacrificio proprius dicto non habuerunt, quorum deinceps afferemus effata. Quae autem, ad reliqua quod attinet, DAMASCI, aliorumque, quos haec aetas tulit, de eucharistia fuerit sententia, id prolixius inquirere, nostri non fert instituti ratio. Transubstantiationem quam vocant, eos non credidisse, diligenter cuiicit vir doctus, IACOBVS BASNA GIVS: * eosdem tamen praesentiam realem corporis & sanguinis Christi, ex mente sententiaque veterum asseruisse, vel ex DAMASCENO liquidissime demonstrari potest. Sed id nunc non agimus.

S. XXIII. Id potius obseruamus, missarum quas vocant solitarum, originem haud incommode ad hanc referri posse aetatem. G. AVDIO equidem ESPEN-
CAE O ** per difficile videtur, temporis articulum, quo communicari desitum, digito velut subindicare: nihil tamen obstar, quo minus certis eo deducamur conjecturis. Enimuero cum & natura ratioque sacramenti huius postulet, & divina quoque institutio iubeat, ut sit novatrix, seu

com-
* Histoire de l'eglise lib. XV, cap. VII, p. 894. ** de missa publica &
privata p. 818.

comunio inter plures, saltem inter distribuentem symbola eucharistica & accipiente[m], quo nomine & venire solet, in veteri quidem ecclesia nunquam sine communicantibus, sacra eucharistia celebrata fuit, ut vel ex **CHYROSOTO-**
MO* rectissime obseruat Augustana nostra confessio.** Ast ex quo vana supersticio hominum incessit animos, exterritum huncce actum, etiam sine recto communicanti-
uni ysu, multum prodesse; plurimaque afferre commoda,
placuit, quam saepissime eucharistiam celebrare. In tan-
ta itaque missarum frequentia, non poterant semper aut
spectatores, aut communicantes adesse, ut tandem solita-
riis hicce non potuerit non euadere actus. Hinc non mul-
tum aberraverit a scopo, qui afferuerit, solitariarum ista-
rum missarum originem in eam circiter incidere aetatem,
qua praeter ecclesias cathedrales & parochiales, monasteria,
oratoria, facella, altaria, magno numero extrui coe-
perunt, in quibus eucharistiae sacrificium certatum cele-
braretur. Hoc autem, secundo circiter octavo atque nono
contigisse, historicorum nos non dubitare sinunt monu-
menta. Accedit, *** quod hoc praesertim tempore quaesi-
tiones agitari coeperint: an fas & aequum sit, solum sa-
cerdotem diuina officia celebrare, nullis videlicet praeſen-
tibus, quibus dicat: *pax vobiscum, Dominus vobiscum, nul-*
lis, qui respondeant: Et cum spiritu tuo. Ex his enim ve-
teris ecclesiae formulis nunquam nisi pluribus praeſenti-
bus, eucharistiam celebratam, apertissime conſtat. Cum ergo
dubitaretur, an recte adhiberentur haec formulae, cum pra-

* bonil. XVII. in cap. IX. epist. ad Ebr. ** abusu III. p. 26. addi-
 ter
 Capzouius, in iſagoge ad hunc locum p. 667. *** conf. Georg.
 Galixtus diſſert. de missis solitariaſ ſ. XII. ſeqq.

ter sacerdotem nemo adesset, missas istas, quás solitarias vo-
 cant, celebrari coepisse, quam rectissime inde concludi-
 tur. Intelligitur autem illud ex canonibus conciliorum,
 quae hoc tempore in Gallia, Germaniaque passim coacta
 fuere, in quibus huius disceptationis subinde iniicitur men-
 tio. In concilio Moguntiaco, anno vltimo Caroli M.
 imperatoris habito, canone XLIII. ita decernitur: Nullus
 presbyter, vt nobis videtur, solus missam cantare, valeat recte.
 Quomodo enim dicet, dominus vobiscum, vel sursum corda ad-
 monebit habere, & alia multa his similia, cum aliis nemo cum
 eo sit. Nondum satis sibi constant concilii istius patres, &
 paulo timidius incedunt, forte quod, nimis potentes iam
 tum missa solitaria haberet defensores. Acrius & liberius in
 missas solitarias inuehitur concilium, quod Parisiis anno
 DCCC XXXIX imperante Ludouico pio, congregatum est. In
 eo namque canone XLIX libri primi ita statuitur: irrepsit
 in plerisq; locis partim incuria, partim auaritia, reprehensibilis
 vsus, & congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli presbyte-
 rorum, sine ministris missarum solennia frequentent. Quod
 nec verba domini saluatoris, quibus mysteria corporis & san-
 guinis suis discipulis celebranda tradidit, nec apostoli Pauli de-
 clarant documenta, nec etiam in actis apostolorum, si enucle-
 atim legantur, ita fieri debere, vlo modo inuenitur. Vnde
 conueniendus, immo interrogandus nobis videtur, huiusmodi
 corporis & sanguinis domini solitarius consecrator, quibus di-
 cat: dominus vobiscum; & a quo illi respondeatur: & cum spi-
 ritu tuo, vel pro quibus supplicando domino inter cetera: me-
 mento domine & omnium circumstantium, cum nullus circum-
 stet, dicit. Quae consuetudo, quia apostolicae & ecclesiasti-
 cae auctoritati refragatur, & tanto mysterio de honorationem
 quam-

quandam irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps huiuscmodi missus inhibetur, prouideatque unusquisque episcoporum, ne in sua parochia quisquam presbyterorum missam solus celebrare praesumat, & si hanc definitionem superbienao transgressus fuerit, canonicae correctioni subiaceat. Prolixiora haec licet canonis verba, ideo tamen afferre operae pretium duximus, quod non tantum ingrauescens hoc tempore missarum eiusmodi abusus indicetur clarissime, immo atro notetur lapillo, & rectissime reiciatur: sed & quod genuinam eius rei causam, auaritiam clericorum, apertissime designent. Concurrebant tamen plures rationes. Namque persuasio de magnis commodis missae, ad eas multiplicandas, illos omnino induxit, quod & in Augustana obseruatum est confessione: * accedit opinio, quae auxit priuatas missas in infinitum, videlicet quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus & venialibus. Deinde, aedium sacrarum, facelorum, monasteriorum plurium extructio, crescensque inde quotidie clericorum numerus, plurimum hic contulit. Namque ne his quod agerent, decesserat, aut ne frustra sacrae aedes excitatae viderentur, & tot altaria extructa, missarium quam saepissime repetendum fuit officium. Ut autem in laicis, vt vocant, supersticio, ita in clericis praeter superstitionem auaritia, & lucri accessit cupiditas, qua inducti, missas quantum poterant, extollebant, & multiplicabant. Extiterunt autem ea aetate, vt reliqua conciliorum nunc mittam decreta, viri quidam docti & cordati, qui missarum illarum solitariarum irrepente tunc damnarent abusum.

F

Hos

* l. 6. p. 25.

Hos inter eminet THEODVLPHVS Aurelianensis episcopus, & WALAFRIDVS STRABO, quorum ille in epistola ad compresbyteros suos Aurelianensis parochiae, * *sacerdos*, inquit, *miffam solus nequaquam celebret*, additis iis, quae iam ex concilio Parisiensi allatae sunt, rationibus: hic vero ** cum expoluisset, qua tandem ratione missa eiusmodi solitariae admitti posset, tandem concludit: *tamen fatendum est, illam esse legitimam miffam, cui intersunt, sacerdos, respondens, offerens atque communicans, sicut ipsa compositio precum, euidenti ratione demonstrat.*

§. XXIV. Romanenses quidem, solitariae quoque missae altius repetere originem satagunt. Sed vel *κοινωνίας seu communionis* illa, in scriptis patrum haud infrequens denominatio, eos conticescere iubet. *** Cumque non yna ratio, cur eucharistia hac voce veniat, reddi queat, haud tamen postrema est, quam veterum quidam tradunt, ideo eucharistiam communionem appellari, quia a pluribus simul eidem pani & calici communicantibus, sumatur: *dia τὸ τότε κοινωνίαν τὰς ἀξέπταντας τῶν μυσηγίων*, inquit scholiaestes DIONYSII, PACHYMERES. **** Quorsum etiam faciunt, quae hac de re habet MICROLOGVS. ***** Sed & *συνάζεως* vox seu *congregationis*, itemque *sacrae coenae*, in veterum scriptis haud infrequentes, idem satis superque testantur. Est tamen hoc ita capendum, ut non semper integrum adfuisse coetum intelligatur, si necessitas forte, etiam paucioribus praesentibus, sacram celebrare eucharistiam, iuberet.

* cap. VII. ap. Baronium ad annum DCCC XXXV. ** cap. XXII. in fine. *** conf. Calixtus de missis solitariis §. XXII. seqq. **** ad cap. III. de Hierarchia ecclesiastica, ***** de ecclesiastice obseruat. cap. L.

beret. Namque cum aegrotis, qui missae publicae interesse non poterant, sacramentum porrigendum esset, non potuisse semper plures aut adesse, aut etiam de symbolis eucharisticis participare, per se manifestum est. Ne quid nunc de eo dicam, quod iubente summa necessitatis lege, minister ecclesiae aliquando sibi ipsis porrigeret sacramentum potuerit: qua de re et si non nulli dubitent, MARTINO tamen CHEMNITIO * iudice, hoc non pugnat cum substantia institutionis coenae dominicae, & praeterea veteris ecclesiae exempla suffragantur. Quemadmodum vero haec & alia eiusdem generis, causam pontificiorum parum iuvant, cum in Romana ecclesia non ex necessitate quadam sacerdos solus communicet, sed ex opinione commodi, quod missae afferant, consuetudo ista, & diuinae institutioni, & veteris ecclesiae moribus, contraria, inualuerit: ita reliqua, quibus caliginem imperitoribus offundere annuntiatur, obseruato inter priuatam & solitariam missam discrimine, facile dilui posunt. Scio, Augustanam confessionem priuatas missas vocare eas, quas GEORGIVS CASANDER ** aliique, qui eum sequuntur, solitarias dixerunt: sed de nomine transigi facile potest, modo res ipsa teneatur. Priuatas itaque missas, ubi certas ob rationes non integer coetus, sed quidam ex coetu praefecto erant, & communicabant, in veteri ecclesia quandoque celebratas fuisse, concedimus: ast solitarias, cum solus sacerdos communicat, ut ipse ROBERTVS BELLARMINVS cardinalis *** eas circumscribit, eo quidem modo, quo in Romana ecclesia

F 2

fre-

* exam. concil. Tridentin. part. II. p. 296. add. Carpzouius, i/agoge ad libros symbol. ad Augst. confess. abus. III. p. 665. ** consult. articul. XXIV. de solitariis missis. *** lib. II. de missa cap. VI.

frequentantur, receptas ante seculum octauum suisse, prorsus abnuita. Priuatas autem quod diximus in vsu apud veteres fuisse missas, facile comprobari potest. Enim vero in veteri ecclesia singulis diebus dominicis atque festis, praesente & communicante toto fidelium coetu, missae celebrabantur, quae *solennes* erant, & deinceps discriminis causa *publicae* dictae sunt: in orientali ecclesia sabbathis etiam, & a paschatos festo usque ad pentecosten, singulis diebus celebrabantur. Quia vero nonnulli christianorum omni quotidie corporis dominici participes fiebant, & vero singulis diebus publicae, siue solennes missae non celebraabantur, istae missae *privatae* dictae sunt, non quidem quod in iis nulla facta fuerit symbolorum eucharisticorum dispensatio, sed quod publicus populi conuentus non fuerit coactus. Procedente autem tempore, cum multi praeter nomen vix quidquam pietate christiana dignum retinerent, laici quidem plerique hunc morem intermisserunt, retinuerunt autem clerici, qui soli plerumque quotidiana missae celebrationi intererant, & sanctam eucharistiam sumebant. Et hoc etiam pertinent illae, quae subita quadam exigente necessitate, itemque in defunctorum exequis celebratae sunt missae, quarum iam supra a nobis iniecta est mentio.* Hae itaque missae, quas deinceps magno numero in monasteriis celebrarunt, priuatae quidem fuerunt, non autem solitariae, quod ex canonibus antiquae ecclesiae, eruditus demonstravit GEORGIVS CASSANDER. ** Et sane ad Latinam quod attinet ecclesiam, patet hoc ex conciliis multis, tam in Gallia, quam in Germania, summam rerum tenente

Cato-

* add. Calixtus *de missis solitariis* §. VII. seqq. ** in *praefat. ordinis Rom. de offic. missie*, p. 95.

Carolo magno habitis, praesertim ex Parisiensi illo, cuius iam supra mentionem iniecimus, quodue imperante Ludouico pio anno DCCC XXXIX. congregatum fuit, in quo acriter reprehensae sunt atque reiectae missae, *in quibus non essent, qui communicarent.* Possem testimonii THEODULPHI, Aurelianensis episcopi, BERTRAMI, WALAFRIDI STRABONIS, aliorumque, idem confirmare, si his diutius immorari, fas ducerem. BELLARMINVS tamen hic nobis dimittendus non est, qui ut euadat, canonibus conciliorum istorum constitutum fuisse contendit, * ut adessent, qui responderent, non qui communicarent. Sed conticefcere hominem vel WALAFRIDVS STRABO iubet, cuius iam supra adduximus effatum, quo diserte perhibet, eam demum missam esse legitimam, cui intersint, *sacerdos, respondens, offerens, atque communicans.* Interim priuatas illas missas, solitariis occasionem praebuisse, lubens conceperim: hae vero quo pacto seculo octauo & nono ortae sint, iam luculenter, ni fallor, exposuimus.

§. XXV. Auctum praeterea mirifice hoc tempore vestium, altarium, similiisque rerum in eucharistiae celebratione, adparatum, historicis id asserentibus, facile crediderit, cui non plane inde los horum seculorum fuerit ignota. In hunc enim morbum, quae ecclesia iam contraxerat, erumpere magis magisque vitia, necesse erat. Quod vero IOANNES BONA ** sibi aliquisque persuasum cupit, omnem istum missaticum adparatum in apostolica ecclesia suos inuenire natales, eiusmodi est, ut nisi magnum viri candorem scripta eius proderent, dubitarem, an serio istud asseruisset. Namque in ipso quaestioneeris limine causae suas

imbecillitatem statim prodit. Cum enim sine omni fundamento contendissem, primum sacrificium missae in ipso met coenaculo, in quo Spiritum sanctum apostoli acceperant, non a Iudeo, sed a Petro peractum fuisse, addit: quis vero qualiter fuerit, p[ri]mū h[ab]ens sacrificii adparatus? incertum est. Immo certum, in eucharistia non fuisse talem, qualem sequentia viderunt secula. Decenter cuncta & ex more Ebraeorum, ab apostolis peracta fuisse non dubito; sed missaticae pompaevllum apud eos vestigium reperi, prorsus nego. Succensa lumina non defuisse, credibile putat. Ad usum nimirum, non ad pompam. Quae enim ex Exod. XXV. & Leuit. XXIV. huc assert, de candelabro aureo; ieunia sunt. Adhibitam a profana & vulgari distinctione vestem, negant H[ab]CO VICTORINVS, * & WALAFRIDVS STRABO. ** Consentaneum tamen hoc bona fuisse putat, apostolicae pietati, & reverentiae erga tantum mystrium, cum praesertim ante oculos haberent sacerdotum legalium exemplum, immo & gentilium, quibus in sacrificiis vestis fuerit peculiaris. Gentilium sacrificulos ad imitationem sibi proposuisse apostolos, vix credo. Namque hoc vel maxime ab illorum pietate apostolica, alienum erat. Nec legales sacerdotes eos sibi exemplum statuisse, credibile puto. Vmbræ enim non amplius inhaerendum esse, postquam corpus iam aduenerat, probi edicti erant. Cumque iam plus satis ritibus & ceremoniis addisti essent, qui ex Iudeis disciplinam Christi amplectebantur, hoc potius eis elaborandum erat, ut animos suorum ab umbratili ista religione abducerent, tantum abest, ut veteres ritus tenere assumpsisse, & extemplo in ecclesi-

am

* lib. II. de offic. eccl[esiast] cap. XI. ** cap. XXIV.

am traduxisse, existimandi sunt. Quae de planeta Petri a postoli, ab Antiochia Parisios delata, de veste sacra Iohannis Euangelistae Gregorio M. transmissa, de penula Pauli Troade relicta, & similibus disputat vir doctus, eiusmodi sunt, ut suae rectius consuluntur existimationi, si ea omississet. Post Constantimum, quod idem ~~bona~~ alibi * asserit, serica atque auro argentoque contexta indumenta, in vnu esse coepisse, facilius concederim. Sed cum ex hoc demum tempore cum superstitione theatrica rituum sacrorum pompa, magna incrementa sumserit, de missae seu eucharistiae sacris, idem pariter intelligendum venerit. Septimo autem, octavo, & nono seculo iam ultra moderationis limites superstitione cuncta prouexerat, ut iam in isto sacrorum rituum adparatu, nihil nisi superstitionis luxuries, & luxuriosa superstitione, conspiceretur. Vestium nimis tanta cura erat, ut Carolus M. constitueret, ut ne ianitoribus quidem liceret communii habitu ministrare, ut auctor est SIGEBERTVS. ** ALCVINI etiam peculiaris circumfertur, liber, de diuinis officiis, in quibus de ritibus & ceremoniis in sacris obseruandis ex instituto agit, quanquam alii hunc librum ALCVINI esse negant, eumque demum post annum millesimum scriptum contendunt. *** Fuerunt tamen alii, qui doctrinae velut christianaee partem in eo collocarent, & de ritibus seu diuinis officiis, ut vocant, interdum inepte satis philosopharentur; ut AMALARIVS, ille Metensis diaconus, & tandem cleroepiscopus, cuius de diuinis sue ecclesiasticis officiis libri IV. ad Ludouicum IV. imperatorem circa annum DCCCXXVII. editi sunt. Adeo adap-

* rerum liturgic. lib. I. cap. XXIV. ** ad annum Christi DCCXIV.
*** vid. Guil. Caeue. hist. litterar. scriptor. ecclesiastic. l. 342.

ratus ille missatus & ecclesiasticus sacrorum rituum, istius aetatis homines occupauit, vt parum esset, magnam temporis partem in ipsis ceremoniis peragendis transigere: libros quoque integros de iis scribant, nescio quae mysteria ubique captantes, quod deinceps sequentibus seculis institutum, alii certatim imitati sunt.

S. XXVI. Nec vna ratione hominum cupiditatibus ista rituum magnificentia ad blandiebatur. Cum primis vero & ecclesiastici ordinis in eo versabatur auctoritas. Quanto enim acrius populi oculos iste sacri cultus, in eucharistiae seu missae celebratione cum primis conspicui, praestringebat splendor, tanto maiori hocce sacramentum prosequabantur veneratione. Quo maior autem erga hoc hominum erat veneratio, tanto quoque exquisitior cultus illorum, quos ceu dispensatores & administratores rerum istarum coelestium, admirabantur ac suspiciebant. Sed Romani maxime Pontificis intererat, vt supremus velut arbitrus istorum mysteriorum crederetur. Quod vt impetraret, ere eius vel maxime esse videbatur, vt in missae administratione non aliis reliquae ecclesiae vterentur ritibus, quam quos ipse praescripisset. Hoc itaque potissimum seculo octauo, & nono, Romani egerunt praesules. Testis luculentus est ipse CAROLVS M. imperator, in tractatu de sacris imaginibus.* In eo enim condocet nos, a Pipino patre suo impetrans Stephanum Pontificem, vt in Franciae ecclesiis eadem, quae in Romana, diuinorum officiorum obtineret ratio: ut non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi; nec se iungeret officiorum varia celebratio, quos coniunxerat unicae fidei pia deuotio. Idem scilicet Adriani Pontifi.

tificis dedisse precibus addit, idque ideo (hanc enim rationem ipse adiungit) vt ad maius fastigium Romana ecclesia proucheretur. Quod quidem & nos, collato nobis a Deo Italiae regno fecimus, sanctae Romanae ecclesiae fastigium sublimare cupientes, & reuerenter diffimi Papae Adriani salutaribus exhortationibus parere nitentes, scilicet vt plures illius partis ecclesiae, quae quondam Apostolicae sedis traditionem in psal-lendo suscepere recusabant, nunc cum cum omni diligentia amplecti antur; & cui adhaerent fidei munere, adhaereant quoque psallendi ordine. Quod non solum omnium Galliarum prouinciae, & Germania sine Italia, sed etiam Saxones & quaedam Aquilonaris plaga gentes, per nos, deo annuente, ad verae fidei rudimenta conuersae, facere noscuntur. Ita nimirum, quae Pontificis hocco subire iugumi recusabant gentes, Imperatoria ad hoc co-genda erant auctoritate. Quod quidem Romanis tam feliciter cessit episcopis, vt per Galliam ac Germaniam, immo tandem & in Hispania vt deinceps dicetur, abrogatis antiquis moribus, missae Romanae ritus, vnaque papale, quod moliebantur, imperium, recipetur. Tanti erat a pristina simplicitate, in eucharistiae celebratione discessisse.

§. XXVII. Quartum succedit interuallum, a Leone IV. seu anno DCCCL. vsque ad concilium Lateranense sub Innocentio III. anno MCCXV. celebratum, in quo transubstantiationis dogma publice assertum fuit. Multa hoc tempore de eucharistia in ecclesia tum Graeca, tum Latina disputata sunt. In hac per nimiam symbolorum venerationem eo iam res deuenerat, vt transubstantiatio, quam vocant, palam a quibusdam assereretur. In his FVL-BERTVS fuit, magister, qui panis & vini substantiam in eu-

charistia perire, inque substantiam corporis & sanguinis Christi transire, cum aliis docebat. Cui dum BERENGERIUS Andegauensis archidiaconus, se opposuit, in contrarium, contradicendi studio, ut fieri afferat, procurrit, docuitque in sacra eucharistia signa tantum & figuræ corporis ac sanguinis Christi, exhiberi. In quo quidem praeuentes sibi habuit IOANNEM ERIGENAM Scotum, BERTRADMVM & alios quosdam. Ast FVLBERTI partes defendendas suscepserunt LANFRANCVS, GUITMUNDVS, ADELMANNVS, aliquique, quorum machinationibus & clamoribus, & variarum synodorum decretis oppressus, palinodiam cecinit, IOANNISQVE Scoti, librum, ex quo errorem hauserat, combussit, formulamque praeente HUMBERTO episcopo Cardinali, errorem abiuravit, mox iterum assumendum, & denuo eiurandum, iterumque adprobandum. Quae omnia, vt veteres nunc taceam, pluribus & ex instituto exposuit HENRICVS MULLERVS, theologus quondam Rostochiensis, in Berengerianismi veteris nouisque historia.*

§. XXVIII. Ita ergo cum transubstantiationis commentum plurimos noctum esset patronos ac propagatores, receptum tandem est publica auctoritate in ecclesiam, decreto in concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. anno M C C X V . condito, quo asserebatur: *corpus & sanguinem Christi in sacramento altaris, subspeciebus panis & vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem Christi, potestate divina.* Hinc latissimum superstitioni patuit campus; & vt cuneus cuneum, ita error errorem trusit. Festum enim corporis Christi sub Urbano IV.

in-

* add. Baronius ad annum M XXXV . Natal. Alexander. hist. eccl. sec. XI. XII. part. II. diff. I.

institutum; tum & ad communionem sub vna specie sensim progressus factus: adoratio enim symbolorum iam ante inualuerat, & theatricae pompa, nec finis, nec modus. Iam ergo & in ea confirmabantur omnes opinione, quae iam pridem multorum animis insederat, solam missae celebrationem plurimum prodesse: vnde hoc ipso tempore nihil frequentius, quam missae pro viuis & mortuis celebratae. Praesertim missarum solitariarum & numerus, & auctoritas, mirifice hoc tempore creuit. Nec deerant inter ipsos episcopos atque pontifices, qui eas defenderent. Plurimum vero eas promovit auctoritas PETRI DAMIANI, viri, sanctitatis opinione ea aetate, longe clarissimi, ast nimia superstitione haud raro in transuorsum acti. Namque in Eremitarum fontis Auellani regula, regularem quemque presbyterum, pro singulis in suo monasterio defunctis xxxviii. missas cantare iussit. Quas quidem missas, praesertim solitarias, augendi studium, fieri aliter non potuit, quam ut displiceret magnopere cordatiорibus. Hinc Sigfridus Coloniensis, qui sub Rudolpho I. Imperatore flouruit, in statutis suis, quae condidit, statuit, cap. I. ne missa sine socio vel scholari, qui respondere valeat, celebretur. Cuiusmodi quid & Wichbaldus Colonensis Archiepiscopus, & Albertus II. imperator, Carolusque v. Galliae Rex in pragmatica sanctione * decreuerunt. Conciliorum praeterea canonibus atque decretis, missarum frequentiae nimiae obuiam eundum fuit, ut LUDOVICVS ELIAS DV PIN ** quoque recte obseruauit. Sic concilium quod Salegen-

G 2

stadii

* conf. Goldastus T. II. constitut. imper. p. 402. add. Calixtus de missis solitariis, §. XXI. seqq. ** Nouelle Bibliothеке des Annales ecclesiastiques tom. VIII. sec. XI. cap. XIV.

stadii in Germania seculi undecimi anno **XXIII.** habitum est, canone quinto vetuit, *ne presbyter in die amplius quam tres missas celebraret.* Sed taceo reliqua.

§. XXIX. An fuerint hacaetate, qui diserte docuerint, missam esse sacrificium proprie sic dictum, asserer non ausim. Non poterat tamen non haec opinio ex reliquis, qui circa eucharistiam inualuerant erroribus, fluere. Solam enim missae celebrationem mirifice & viuis & mortuis prodesse, credebant omnes. Ast qui rectius prodesse poterat, quam crimina hominum expiendo? Hoc enim in votis habebant, ut sibi liceret esse improbis, & missatico quodam sacrificio, statim cuncta tollerentur crimina, & facultas impune quiduis committendi, conciliaretur. Fuerunt tamen inter viros doctos istius interualli, qui contrarium diserte docerent, missamque, sacrificium proprie sic dictum esse, aperte inficiarentur. Quod documento est, nondum prorsus veram veteris ecclesiae doctrinam de eucharistia, quod ad hoc caput attinet, suisse eliminata. **IVO-
NIS CARNUTENSIS**, qui circa annum **MXCII.** & **PETRI
CLVNIAE** CENSIS qui circa annum **MCCXIII.** claruit, non asseram hic de re effata, licet luculentia satis, cum ea iam ab aliis commemmorata sint. * **PETRI** tamen **LOMBARDI**, ** a nostris tribus iridem iam saepius productum, *** praetermittere testimonium nequeo, quod inter scholasticos magna eius olim fuerit auctoritas. Hic itaque cum de conversione symbolorum eucharisticorum, modoque conuersio-
nis, ut mos istius aetatis ferebat, operose disputasser,

quae-
* vid. *Calixtus de sacrificio Christi semel in cruce oblatu& initera-
bili*, §. *CVIII.* seqq. ** lib. *IV.* sentent. *diss. XII.* lit. *G.* *** v.
Gerhardus *confession. catbol.* p. m. 1203.

quaestionem proponit: si quod gerit sacerdos, propriè dicitur sacrificium, vel immolatio, & si Christus quotidie immolatur, vel semel tantum immolatus sit? respondetque: ad hoc breuiter dici potest, illud quod offertur & consecratur a sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia MEMORIA EST ET REPRÆSENTATIO veri sacrificii, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibique immolatus est in semetipso: quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel. Et hoc sane est, quod & nos profitemur, posse eucharistiam vocari sacrificium, siquidem exhibeat nobis atque reperient et sacrificium Christi pro nobis in ara crucis ab illo oblatum: propriè sic dictum sacrificium eucharistiam esse & quidem propitiatorium, hoc vero est, quod negamus, nec dicit illud magister sententiarum LOMBARDVS. Eundem plane in modum, iuris pontificii celeberrimus collector GRATIANVS, cuius itidem in hoc interuallum incidit aetas, quippe qui circa annum M. C. LI. concordantiam suam, ut vocauit, discordanter canonum edidit, de sacrificio missæ & sentit & loquitur. Namq; ex AVGUSTINO ita hac de re differit: * Semel Christus mortuus est, iustus pro iniustis, ac mors illi ultra nos dominabitur: tamen NE OBLIVISCAMINI, quod semel factum est, in memoria nostra sit omni anno, quoties paschia celebratur: numquid Christus toties occiditur? non, sed anniversaria recordatio REPRÆSENTAT, quod olim factum est, & sionis facit moneri, tanquam videamus praesentem dominum in cruce. Et alibi: ** Semel immolatus est in semetipso Christus.

bus, & tamen quotidie immolatur in sacramento, quod ita intelligendum est, quia in manifestatione sui corporis, in distensione suorum membrorum omnium verus Deus & verus homo semel tantum in cruce pependit, offerens patris ipsum hostiam viuam. * Sed taceo reliqua. *

§. XXX. Ceterum quae in praecedenti interuallo notauimus mala, & hic recurrunt, non sine insigni, ut credere par est, augmento. Missatica pompa in tanto pretio erat, vt rituum qui indies augebantur, frigidissima interpretatio, & ineptissima mysteriorum in iis consecratio, sublime & diuinum prorsus philosophiae genus, istius aetatis hominibus videretur. Fuit in illis i v o quoque celebris ille Carnutensis episcopus, cuius a quibusdam commemoratur de oeconomia veteris & noui sacerdotii opus, in quo, more tum recepto, ritus missae allegorice exponit. Agitata adhuc quoque seculo scilicet vndecimo quaestio fuit, an solus sacerdos nullo alio praesente possit celebrare missam, & si celebret, an possit dicere: *dominus vobis cum:* ** & quae alia erant ineptissimae superstitionis documenta, de quibus & auctor Chronicus Cassinensis *** legi potest.

§. XXXI. Sed illud nobis praetermittendum non est, quod & hoc tempore in propagandis missaticis ritibus cura Romanorum praesulum eluxerit: cuius rei iam supra indicauimus causam. Vigebat namque seculo vndecimo adhuc in Hispania officium missae Mozarabicum, quod & Gothicum dicitur: Gothicum quidem, quia originem habuit eo tempore, quo Goths in Hispania dominabantur;

Moz-

* Plura vide ap. Gerhardum *confess. cathol.* p. 1205. ** *conf.* Ludovicus Elias du Pin, l.c. *** *lib. II. cap. XLIV.*

Mozarabicum autem, quia cum Arabes Hispaniam pene omnem occupassent, christiani *Mixt Arabes* & corrupto vocabulo *Mozarabes* i. e. mixti cum Arabibus, dicebantur: quanquam alii aliam vocis significationem afferant. Huius missae Mozarabicae auctorem LEANDRVM, Hispalensem archipraefulem, qui seculo VI. vixit, credunt, cum multa suadeant, eum in usum Gothorum, liturgiam composuisse.* Hanc missam ISIDORVS Hispalensis, Leandri frater & successor auxit, vnde a quibusdam eius auctor fertur: aliaeque ab aliis quoque episcopis, ad eam factae sunt accessiones. Vsi hac formula Hispani sunt vsq; ad tempora Gregorii VII., qui fastu turgidus, & cupiditate amplificandi imperii lymphatus, cuncta mouit, cuncta turbauit. Volebat itaque, vt Hispani officio isto Mozarabico abrogato, Romanos adsumerent missae ritus: eaque de causa ad Alfonsum Castiliae, & Sanctium Arragoniae Reges, scripsit. ** Paruit Sanctius, valde ideo laudatus GREGORIO, reluctatus est Alphonsus, suasu vt ferunt cuiusdam ROBERTI CLVNIACENSIS, quem ideo *nefandissimum seductorem* vocat Pontifex. *** Tandem vero & hic manus vietas dedit, nouo instituto fauente regina Constantia, quae in Gallia nata, Romano iam adsueta erat officio. Nec tamen statim populus Regis sequebatur auctoritatem, immo omnem, vt patrios auitosque retineret ritus, mouebat lapidem, aegerri meque vt ab iis discederet, induci poterat. Commenta & fabulas, dum haec narrat, miscet RÖDERICVS TOLETANVS, **** haud obscuri ceteroquin nominis historicus, dum singula-

ris

* vid. Guil. *Cave in histor. litter. Scriptor. eccl. in Leandro p. m.*
302. ** epist. LXIV. lib. I. *** lib. VIII. Epist. III. **** lib. VI. de
reb. Hisp. cap. XXVI.

ris duorum virorum certaminis, & deinde ignis euentu rem commissam, Gothicique officii vtr obique superiori extitisse causam, auctor est, auct hoc in re minime fide dignus. Quicquid eius rei sit, perstitit in sententia Gregorius, nec prius acquieuit, quam abrogato Mozarabico, Rofianum officium Hispania recepisset. * Franciscus tamen ille Ximenes, cardinalis & archiepiscopus Toletanus, qui & de literis praecclare meritus est, hoc missae officium in quibusdam ecclesiis restaurauit, quod & in iis hodie adhuc retinetur. **

§. XXXII. Quintum denique & ultimum interualum a concilio Lateranensi, ad Tridentinum usque, porrigitur. Hoc potissimum tempore, iudice HEIDEGGERO *** missae sacrificium obstetricantibus variis erroribus, miraculis etiam fictitiis conceptum, formatum, natum, exclusum, & in concilio Tridentino bruto anathemate firmatum roboratumque est. Nec refragatus fuero prorsus: modo hoc ita capiatur, quod iam in prioribus interualis quedam eius vestigia haud obscura adparuerint, id quod ex dictis abunde liquet. Vnde exclusum potius & in lucem productum, quam conceptum ac formatum, dixerim. Multo enim tempore opus fuit, ut ex tenuibus adeo initii & primis veluti, quas supersticio texuit, staminibus, illud ex tot commentis compositum & consarcinatum corpus exsureret, plenoque tandem habitu se conspicendum praebiceret. Praeterea & hoc ipso interuallo, ante concilium Tridentinum, tacito potius sensu, ex praxi ne-

* add. Io. Bona rerum liturg. lib. I. cap. XI. ** vid. Henr. Wharton ad Guil. Caue histor. litterar. script. ecclesiastior. p. 134. *** l. c. p. 762.

necessario resultante, quam publica & recepta doctrina
hanc sententiam, quod eucharistia sacrificium sit proprie
sic dictum, irrepsisse, existimauerim. Idque ideo, quod
& huius aetatis clarissimi scriptores, nullum sacrificium
proprie sic dictum, in eucharistia agnoscant. In his prin-
ceps scholasticorum THOMAS DE AQVINO est, qui seculum
decimum tertium nobilitauit. Ad quaestionem enim : *v-*
trum in hoc sacramento Christus immoletur? respondet : *
dupliciratione celebrationem huius sacramenti dici im-
molationem Christi: primo quidem, quia sicut dicit Au-
gustinus ad Simplicium, solent imagines eorum rerum nomi-
nibus adpellari, quarum sunt imagines. Quod cum exem-
plis illustrasset, subiicit: *Celebratio autem huius sacramenti*:
imago quaedam est representativa passionis Christi, quae est
VERA EIVS IMMOLATIO. Et ideo celebratio huius sacra-
menti dicitur Christi immolatio. Deinde ad alterum modum,
quo eucharistia sacrificium dici possit, pergit: *Alio*
modo, quantum ad effectum passionis Christi, quia scilicet per
hoc sacramentum participes efficiuntur dominicae passionis &c.
THOMAM vero plurimi scholasticorum secuti sunt, qui iti-
dem diserte eucharistiam esse sacrificium improprius sic di-
ctum, docuerunt. Vixit etiam circa annum M C C C X L^e
quidam CONRADVS HAGER, quem ex bullis quibusdam
Ottonis episcopi Herbipolensis, confessum refert IOANNES
GERHARDVS noster, ** *se annis viginti quatuor sensisse ac do-*
cuisse, missam nullo modo esse sacrificium, aut cuiquam vel vi-
uo, vel mortuo prodeesse, eoque nequaquam celebrandum. Prae-
terea dixisse eum: *pecuniam, quae a morientibus promissis re-*
linquatur, esse veluti furtum & sacrilegia quaedam sacerdotum,

H

quae

* part. III, quaest. LXXXIII. art. I. ** confess. cath. p. m. 1201

quae illi pauperibus impie subtrahant. Sed hunc quidem veritatis coelestis testem, supra seculi morem geniumque sapuisse, palam est: hinc ex eius neutiquam de istius temporis doctrina, statuendum est dictis.

§. XXXIII. Dum ad concilium Tridentinum pro prius accedimus, id initio monemus, cum post Augustanam confessionem, Carolo quinto Imperatori exhibitam, inter delectos vtriusque partis septenos de concordia tractatio instituta esset, Pontificii quidem, cum exposuerint, quotuplici ratione Christus sacrificium dici posset, tandem diserte assertuere: porro in missa quotidie offertur mysteri aliter & representatiue, in memoriam suae passionis, & oblationis semel in cruce factae. Est ergo, addunt, missa non reuera victimaria, sed mysterialis & representatiua. Id quod patet ex actis, quae historiae Augustanae confessionis inseruit DAVID CHY TRAEVS. Quaesententia, ut eadē prorsus est cum nostrae ecclesiae doctrina, ita e diametro profecto concilii Tridentini decretis repugnat. Immo & in synodo prouinciali, sexto post exhibitam confessionem Augustanam anno, Coloniae habita, sententia, quam de sacrificio missae doceri populus debat, ita exponitur: * *Docendus est populus quale sit missae sacrificium, nempe representatiuum.* Semel quidem Christus mortuus est, iustus pro iniustis &c. Etiamen quotidie immolatur in sacramento, non quod toties Christus occidatur, sed quod illud unicum sacrificium mysticis ritibus quotidie renouetur, quotidiana recordatione mortis domini, qua liberati sumus, in edendo & potando carnem & sanguinem, quae pro nobis oblatas sunt, hoc ipsum representetur, quod olim factum est &c.

§. XXXIV.

*part. VII. cap. XXVII. add. Calixtus de sacrificio Christi semel in cruce oblatu & in iterabili §. CXVIII.

§. XXXIV. Quid in concilio Tridentino hac in re actum sit, omnium optime PETRVS SAVIS Polanus, aut potius PAVLVS SARPIVS Venetus, nos condocet. * In dissertationibus enim theologorum maximam fuisse, auctor est, omnium confessionem in Protestantium opinionibus super articulis propositis, inter quos & ille de sacrificio missae erat, haereleos damnandis. Immo cum reliquos articulos breuiter perstrinxissent, vberior fusiorque singulorum fuit oratio in articuli huius probatio-ne: missam esse sacrificium, quo sub symbolis eucharistici Christus offertur. Atq; id vt euincerent, varias attulerunt rationes, elumbes profecto atque fculneas. Nimurum Christum, aiebant, esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedechi: Melchisedechum autem panem obtulisse atq; vinum: ergo sacerdotio Christi conuenire, vt sit ibi panis atque vini sacrificium: & quae reliqua erant eiusdem commatis, oppido iejuna ac frigida. Inter ceteras autem rationes, cum nonnulli & hanc attulissent, missam esse sacrificium, quia Christus in coena semetipsum obtulisset, acris hac super re inter illos orta est contentio, aliis quidem Christum semetipsum in coena obtulisse, afferentibus, alii autem Christum oblationem imperasse, non se ipsum obtulisse, contendentibus. Tandem in congregacione die vigesimo quarto Iulii a prandio, habita, GEORGIVS ATAIDES Regis Lusitaniae theologus, ad euertenda aliorum theologorum firmamenta omnia, quibus e scriptura sacrificium missae adstruebant, se comparat, praefatus, id in controuersiam non vocandum, an missa sit sacrificium. Patres enim omnes id apertis verbis expressisse, & vbique da-

* *list. concil. Tridentini lib. VI. p. m. 940. seqq.*

ta occasione iterasse. Quibus praemisis, ad loca e veteri ac nouo testamento a theologis adducta sigillatim examinanda pergens, e nullo horum expressum sacrificii sensum de-
promi posse, ostendit. Quod cum edisserisset ordine, argumenta quoque protestantium attulit, quibus illi con-
tendunt, eucharistiam non esse institutam in sacrificium, sed in sacramentum, concludens, propositionem illam: mis-
sam esse sacrificium, non alio fundamento niti, quam tra-
ditionis; suadensque, ut in ea conquiescant, ne veritatem
certam, nimio probationum conquirendarum studio, ambiguam incertamque reddant. Haec sapienter quidem ATAIDES,
aut sine fructu. Constitutum enim semel erat, sententiam protestantium haereseos damnare. Hinc cum ad horum
argumenta responsiones parum validas, ut videbantur, sub-
iecisset, collega eius IACOBVS PAYVA, theologus alter
Lusitanus, proxima congregatione acutiores, scilicet! at-
tulit. Quam parum autem ATAIDES placuerit patribus
Tridentinis, vel inde intelligas, quod mox IOANNES
CAVILLONIVS, Iesuita, de circumspectione in Lutheranorum
argumentis proponendis, magno plerorumque ad-
plausu, differuerit. Nec morati sunt rationes ATAIDAE
Tridentini patres; veram & genuinam veteris ecclesiae
sententiam haereseos damnantes, in dissentientes anathe-
matis vibrauere fulmen: si quis dixerit, missae sacrificium
tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam comme-
morationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatio-
rum, vel soli prodefessi sumenti, neque pro viuis & defunctis,
pro peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus of-
ferridebere: anathema sit.

§. XXXV. Haec origo, hi natales fuere missae pontificiae.

ficiae. Nunc ad illud nobis accedendum, quod caput cau-
sae, & cuiusmodi ea sint, quae pro sacrificio hocce missae in
CLEMENTE ROMANO AC IRENAEO sibi inuenisse visus est
vir clarissimus IO. ERNESTVS GRABIVS, paucis dispicien-
dum. Et CLEMENTIS quidem, quod in priori eius ad
Corinthios epistola exstat, ita se habet testimonium: *

*πάντα τάξει ποιῶν διφείλομεν, ὅτα δέ σπεύστης ἐπιτελεῖν ἐκδό-
λουσεν. Κατὰ πατρὸς τεταγμένης τάς τε προσθρόνους καὶ λειτερ-
γίας ἐπιτελεῖν θαυματίζεις, καὶ εἰνὶ ηὔτακτος γνωθεῖς, αὐτὰς μετομέ-
νοις πατρῷς καὶ ὄραις: cuncta ordine debemus facere, quae do-
minus iussit per agere, statutis temporibus OBLATIONES &
officia perfici, neque temere vel inordinate fieri praecepit, sed
praeinititis temporibus & horis. Et paucis interpositis:
ὅτι ἐν τοῖς προστεταγμένοις πατροῖς ποιῶντες τὰς προσθρόνους αὐτῶν
ἐπιπόδεσθαι τοὺς μανίγονούς τοὺς γάζαν νομίμους τῷ δεσπότῃ αὐτολόγῳ.
Σέντες δὲ διαματαναστον. Qui ergo assignatis temporibus obla-
tiones suas faciunt, accepti & beati sunt: nam qui sequun-
tur leges domini, non aberrant. Nimirum quia CLEMENS
oblationes προσθρόνους hic commemorat, ergo eucharistiam
intelligit, ergo eucharistia est sacrificium, & quidem pro-
prie sic dictum. Ita enim rationes subducatur necesse est,
vir doctissimus, si ex hoc testimonio, quod vult, euincere
cupit, veram esse sententiam Romanae ecclesiae, eucha-
ristiam esse sacrificium propitiatorium & proprie sic dictum.
Ait initio nondum euictum, per oblationes intelligi eucha-
ristiam. Deinde esto, intelligi eucharistiam, probandum rur-
sus est, eam hic in propria significatione, sacrificium vocari.
Ad prius quod attinet, consentientē mecum habeo doctissi-
mum virum IO. FELLVM, qui ad CLEMENTIS haecce verba,*

sequentia adnotauit: * *Satis constat δῶρα, πέρος Φορᾶς, quodque eodem reddit, ὅτι μὴν εὐωδίας voces esse in novo testamento receptas: an vero per metaphoram & blandiora tropi tormenta & surpēntur, aut absolute & vsu communi & recepta ecclesiae praxi, admissae fuerint, altius repetendum.* Et quidem sicciones ii, qui Apostolorum nomen praeferunt, illos aut saltim Clementem bunc nostrum, (quod a quibusdam dici solet) auctorem haberent, nullus superesset dubitationi locus. Canon enim tertius sic ait: ἐτι; ἐπίσκοπος &c. Sed quandoquidem de eorum canonum fide dubitatur, obseruari debet, primis temporibus, non solum singulis diebus dominicis, in christianorum conuenienti ex D. Pauli mandato pauperum gratia collectam pecuniam fuisse institutam: sed etiam dñe oīvia quaedam donis seu oblationis nomine, sacrae mensae fuisse allata. Hinc saepius in hac ipsa epistola τῆς πέρος Φορᾶς mentio: ubi etiam episcopi describuntur hoc charactere & elogio, quod sint περοτευχόντες τὰ δῶρα. In quem sensum Θεοφίλος Ignatius, ne quidquam re clamante plagoso patrum orbilio Dallaco, ait ad Smyrnenses, non licet ubique episcopo εἴτε βασιλίζειν, εἴτε πέρος Φέρειν, εἴτε δυσίαν προσκομίζειν. Nec aliter Iustinus Martyr, cum elementa ad eucharistiam adhibita, tum ad eulogias absentibus mittendas destinata, apol. II. disertis verbis πέρος Φορᾶς appellat. IRENAEI hinc atque CYPRIANI item prolati testimonii, ita pergit: Atque hanc ipsam ob causam oblationum vox tam frequenter apud antiquissimos ecclesiasticos patres occurrit, praesertim vbi de eucharistica mysteriis agitur, ut & missali Romano, immo & in ecclesiae nostrae Anglicanae solenni officio, etiamnum retineatur. Nimis igitur sacramentissima eucharistica mysteria τὰ εἰρηνικὰ sine pacifica omni-

* p. m. 168.

no videri possent, par erat, ut qui sacris operaretur, munera sua DEO offerret, cumque eadem participaret, sacrae admotus mensae Numinis coniuua fieret, possetque, vt D. Pauli versus utar, θυσιασης μετέχειν &c. Haec pro nobis, immo pro communi protestantium causa, FELLVS. Cuius cur admitti non debeat loci huius expositio, nullam ego causam video: frequentissima contra harum oblationum apud veteres mentio, vt admittatur, omnino suadet.

§. XXXVI. Ast vt hanc responsionem occuparet doctissimus GRABIVS, ad sequentia, quae in §. XLIV. extant CLEMENTIS remisit verba. Ne vero haec, inquit, vel de solis Iudaicorum sacerdotum, vel christianorum laicorum, oblationibus accipiantur, addo sequentia §. XLIV. verba: ἀμαρτία, γιζὴ ἀκαθήμιν ἐστι, ἐὰν τὰς ἀμέμπτος καθόστως προσενέγκοντας τὰ δῶρα, τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλλωμεν. Non enim erit leue peccatum nostrum, si eos, qui inculpate & sancte dona offerunt, episcopatu priuauerimus. Ast incertum mihi per aequem incertum probare videtur vir clarissimus: imino vertobique alienam CLEMENTI adstringere mentem. Namq; nulla ratio, quae hic magis eucharistiam intelligendam esse, quam in priori loco, suadeat, adest. Ipse COTELERIVS, licet sanctam eucharistiam, & sacrificia incruenta hic designari existimet, addit tamen & preces fidelium. Cur vero non solas preces & gratiarum actiones intelligamus? Certe TERTULLIANVS, cuius subnectit ad hunc CLEMENTIS locum illustrandum, testimonium, eas solas indicat. De loco enim Matth. VIII. 4. *Vade ostende te sacerdoti, & offer munus, quod praecepit Moyses,* differens, * argumenta enim, inquit, figurata, *ut pote prophetatae legis,*
adibuc

* lib. IV. contra Marcion. cap. IX.

ad huc in suis imaginibus tuebatur, quae significabant hominem quendam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet & gratiarum actionem apud ecclesiam, per Christum Iesum catholicum patris sacerdotem: Plura in eundem sensum COTELERIVS habet, manifesto documento, hic non intelligendam necessario eucharistiam. Et cur non de oblationibus in veteri ecclesia receptis, hic loquatur CLEMENS? Certe loqui, FELLVS in antea prolatis verbis ostendit, qui hunc locum cum priori itidem contulit. Sensus sane verborum optimè fluit, si oblationes istas per τὰ δορά intelligamus. Esto vero intelligi sacram eucharistiam, num ex eo, quod sacerdotes in ea dona Deo offerre dicuntur, statim sequitur, eucharistiam esse sacrificium propriæ sic dictum, & quidem propitiatorium?

S. XXXVII. Iam quae de CLEMENTIS auctoritate, subiicit vir doctissimus, nos minime feriunt. Atqui, inquit, cum huius epistolæ auctor ille ipse Clemens fuisse videatur, cuius nomen in libro vitae scriptum Philippenſibus scripsit Paulus cap. IV. v. 3. cumque is modo citata duobus vel tribus post Petri & Pauli Apostolorum martyrium, & viginti ante S. Ioannis obitum, annis, scriperit, vix plus dubitandi locus relictus est, ab ipsis sanctis apostolis, hanc de sacrificio eucharistiae doctrinam promanasse, ac proinde omnino tenendam esse, licet nullum pro ea dictum ex ipsis prophetarum vel apostolorum scriptis, adduci posset. Esto CLEMENTEM hunc eundem fuisse, cuius in epistola ad Philippenſes iniicitur mentio, quamquam non desint, qui secus sentiant, nec verosimile admodum sit CLEMENTEM Romanum vixisse Philippi: esto a Petro atque Paulo eum sua accepisse; nihil hoc ad sacrifici-

ficim missae, quippe cuius ne verbo quidem, saltem in sensu Pontificiorum, meminit. Quod vero traditioni tantum lic tribuit vir doctus, ut ea sola in dogmatibus creditu necessariis standum existimet, etiamsi nullo propheticorum & apostolorum oraculo, quod in traditione continetur, confirmari queat, id minime profecto ferendum est. Id enim vero est, certissimam illam, quam Deus nobis concessit, veritatis regulam, imperfectionis arguere, ac si esse aliquid creditu necessarium queat, quod in ea non contineatur, quem quidem errorem in Pontificiis iampridem evidentissime confutarunt nostrates, & simul in eius locum longe incertissimam fallacissimamque substituere. Quot enim quae latebras & subterfugia veritatis hostibus concedit traditio? Quis inueniat in ea, vbi consistat? Sed refero pedem, nec id nunc agendum nobis est, cum alibi forte commodior de traditionis incertitudine, dicendi, se nobis offerre queat occasio.

§. XXXVIII. Ad IRENAEVM itaque nunc accedimus, cuius praecipue nituntur auctoritate sacrificii missatici patroni. In eius itaque paulo adcuratius inquisuisse mentem, operae pretium fuerit. Patet autem, diligentius ea, quae in capite trigesimo secundo libri quarti IRENAEVS differit, expendentibus, hoc illi constitutum fuisse, ut probaret, non indigere Deum sacrificiis, nec tam his, quam morum innocentia, & sanctitate delectari. Quoniam, inquit, autem non indigens Deus seruitute eorum, sed propter ipsos, quasdam obseruantias in lege praecepit, plenissime prophetae indicant. Et rursus, quoniam non indiget Deus oblatione hominum, sed propter ipsum, qui offerat, hominem, manifeste dominus docuit, quemadmodum ostendimus. Si quan-

do enim negligentes eos iustitiam, & abstinentes a dilectione
Dei videbat, per sacrificia autem & reliquias typicas obser-
uantias putantes propitiari dominum, dicebat eis Samuel qui-
dem sic: non vult Deus holocausta & sacrificia, sed vult ex-
audiri vocem suam, &c. Adducto hinc ex psalmo XXXIX.
v. 7. testimonio, pergit: docens eos, quoniam obauditionem
vult Deus, quae seruat eos, quam sacrificia & holocaustoma-
ta, quae nibil eis profundunt ad iustitiam, & nouum simul propheta-
tans testamentum; in quo videlicet pro sacrificiis externis,
sacrificia obsequii, iustitiae, aliarumque virtutum, christi-
ani Deo oblaturi essent. Edifferit hoc vterius, variis ex
psalmo I. 18. 19. XLIX. 9. IO. II. 12. & Ieremia, Esaia, ac Zacha-
ria vatibus, allatis documentis, tandemque concludit: ex
quibus omnibus manifestum est, quia non sacrificia & holocau-
stomata quaerebat ab eis Deus, sed fidem, & obedientiam, &
iustitiam, propter illorum salutem. Sicut in Osea prophetas,
docens eos Deus suam voluntatem, dicebat: Misericordiam
volo plusquam sacrificium, & agnitionem Dei super holocau-
stomata. Sed & dominus noster eadem monebat eos, dicens:
si enim cognouissetis, quid est misericordiam volo, & non sa-
crificium, nunquam condemnassetis innocentes: testimoni-
um quidem reddens prophetis, quoniam veritatem praedica-
bant, illos autem arguens sua culpa insipientes. Nihil hisce
omnibus aliud IRENAEVS innuit, quam promptum & filiale
obsequium, vnde reliquae virtutes christiano homine di-
gnae fluant, hoc demum verum illud, Deoque gratum &
acceptum sacrificium esse.

S. XXXIX. Hoc adeo cvidens est, atque perspicu-
um, vt ipse F. E. VARDENTIVS, mentein IRENAEI huc
redigat: probat ex Samuele, Davide, Iesaias, Ieremias, & a-
llis

*Iis, Deum non indigere sacrificiis, promptam potius cordis obedi-
 tionem, contritionem, laudem, invocationem, mentis puritatem, fidem, misericordiam, beneficentiam, SIMILIA-
 QUE SPIRITALIA exigere SACRIFICIA, quibus magis proprie honoratur & colitur.* Sed quando idem addit: *Idcirco iudaicas oblationes repulit, corporis autem ac sanguinis sui nouam noui testamenti oblationem instituit & tradidit, toto orbe & per omnes gentes offerendam, id quidem eiusmodi est, ut mentem IRENAEI aut non recte assecutum FEVARDENTIVM, aut dissimulasse etiam, asserere nullus dubitem.* E-
 nim uero cum toto hoc capite id agat IRENAEVs, ut sacrificia spiritualia, externis praefferat, non potest dubitari, quin & eucharistiae tanquam spiritualis sacrificii, iniecerit mentionem. Ipsa hoc facile euincunt verba IRENAEI: *Sed & suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed VT IPSI NEC INFRVCTVOSI NEC INGRATISINT.* (Ecce! hoc est verum illud Deo-que placens sacrificium, obsequium, gratusque animus!) *eum, qui ex creatura est panis, accepit, & gratias egit, dicens: hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea crea- tura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo, ei, qui ali- menta nobis praefstat, primitias suorum munerum in nouo testa- mento &c.* Hic equidem eucharistiam oblationem seu sa- crificium vocat IRENAEVs: sed quod sacrificium proprio sic dictum & quidem propitiatorium sit, ne verbo quidem in- dicat. Immo, dum ideo hoc sacrificium a nobis offerri docet, ut non infructuosi & ingratissimus, palam est, eu- charistiam hoc maxime nomine sacrificii & oblationis rati-
 onem

onem habere, quod in ea laudem, gratiarum actionem, & animum gratum Deo offeratur, quanquam & aliae rationes sint, cur sacrificii, sed improprie sic dicti, nomen eucharistiae tribuatur, ut iam supra euicimus. Quae quidem tam clara sunt & manifesta, ut mirari subeat, posse adhuc aut velle viros doctos ad IRENAEI pro sacrificio missae, auctoritatem, prouocare.

¶. XL. Idem luculentius adhuc constat, ex subiuncto Malachiae vatis loco, quo suam sententiam confirmat IRENAEVS: de quo (sacrificio spirituali noui testamenti) in duodecim prophetis Malachias sic praesignificauit: * Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus omnipotens: manifestissime significans per hanc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offeretur Deo, & hoc purum: nomen autem eius glorificatur in gentibus. Nimirum, quemadmodum antea exemplo eucharistiae probauerat IRENAEVS, in locum externorum sacrificiorum, quae in veteri testamento obtinebant, in novo successisse sacrificia spiritualia, ita nunc Malachiae hocce testimonio idem demonstrat, atque euincit. Namque nec aliud quid sibi vult Malachias: & IRENAEI verbis plane vim inferret, qui aliter ea caperet. Nihilosecius F E V A R DENTIVS & IRENAEI ita interpretatur verba, ac si de sacrificio missae hunc Malachiae locum accepisset, & haud exiguum etiam illorum subnectit catalogum, qui pariter

de

* Malach. I, 10. 11.

de sacrificio missae eu[n]acceperint. CLEMENTEM namq[ue] Romanum, * MARTIALEM, ** IVSTINVM martyrem, * TER-TULLIANVM, ** CYPRIANVM, *** CHRYSOSTOMVM, **** AV-GVSTINVM, ***** EVSEBIVM, ***** DAMASCENVM, ***** PETRVM cognomento VENERABILEM, ***** hoc fecisse contendit. Et quod mireris, Iudeos etiam in Iubilidium vocat, qui locum istum Malachiae de sacrificio missae interpretari fuerint. Immo, inquit, *E* qui Christo nomen non dederat, Rabbi Samuel Paraſlaſi veri Messiae ad Rabbi Isaac Magistrum Synagogae Subiulmetae in regno Marochiano (effa-tū hoc Malachiae ita interpretatur) ut impietas sit plus quam iudaica, h[ic] interpretationi repugnare. Suffragatur FED-
VAR DENTIO vir clarissimus I. O. ERNESTVS GRABIVS,
qui ad COCCIVM * atque MEDVM ** prouocat, quos hotum, a-
llorumque auctorum, huc facientia testimonia recitasse,
auctor est.

§. XLI. Et sane est hoc Malachiae vatis oraculum, palladium Romanensem, cui tota salus sacrificii missatici innititur: quo saluo, omnia salua esse putant. Ut adeo non abs re fuerit, paulo accuratius in eius inquisiuile sensu, ut nullum eos in hoc inuenire praesidium, omnibus innote-scatur. Reprehenderat Malachias prauos sacerdotum Iude-
liticorum mores, quod diuinarum legum immemores,

I 3

aua-

* lib. VII. constitut. Apostolice. cap. XXXI. ** epist. ad Burdegalenses
cap. II.

* in dialog. ** lib. III. contra Marcionem. *** lib. I. aduers. Iudeos
os cap. XVI. **** in psalm. XCV. ***** lib. XVIII. de ciuit. Dei
cap. XXXV. & lib. XIX. cap. XXIII. it. lib. I. contra aduersari-
um legis cap. XX. ***** lib. I. demonstr. Euangel. cap. vi. *****
lib. IV. cap. XIV. ***** lib. I. contra Petrobrusianos &c.

* besaur. carbol. lib. VI. art. VI. * loco supra citato.

auritiaque abrepti, non ita ut decebat, sacris operarentur. *Quis est (inquit v. 10.) in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito: aut potius: quis vestrum, qui claudat ostia (gratis) immo ne altare quidem meum accenditis gratis.* Namque & iam ceteroquin Deus sacerorum ministris prospexerat, ut emolumenntum ex ministerio suo caperent: sed hoc non contenti, foedissimum ubique capabant lucrum. *Quod quantopere sibi displiceat, Deus porro, ore vatis testatur: Non est mihi voluntas in vobis, non sane mihi eiusmodi mores probantur, & munus non suscipiam de manu vestra.* Tum vero Malachias more vaticibus solenni, ad meliora noui testamenti tempora digreditur, foreque praedicit, ut Leuitico illo cultu plane abrogato, spiritualis per orbem vniuersum inualescat. *Ab ortu enim solis, usque ad occasum magnum (erit) nomen meum in gentibus (per tot populorum ad fidem christianam conuer-sionem) in omni loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatione munda (per internum & spiritualem cultum, Deo tantum placentem) quia magnum est nomen meum in gentibus.* Ne verbum itaque quidem in hoc oraculo Malachiae occurrit, quod suadeat, loqui diuinum vatem de sacrificio missae. Loquitur sane de sacrificiis, sed spiritualibus, noui testamenti. Sed num non alia noui testamenti sunt sacrificia, quam sacrificium missae? Vel ipse IRENAEVS conticescere Iesu sentientes iubet: quandoquidem toto hoc capite ex instituto hoc agit, ut diuinarum litterarum testimoniis comprobet pietatem, sanctitatemque vitae, & morum innocentiam cum precibus & gratiarum actionibus, haec demum vera esse Deoque placentia sacrificia.

§. XLII. Sed videamus, quid pro sua sententia adferant
in

In medium Romanenses. CORNELIVS A LAPIDE, * CHRISTOPHORVS CASTRVS, ** aliique ex hac gente, ingens causee praesidium se inuenissebti videntur in voce מנה oblationis, qua vates diuinus vtitur. Ea enim Leuitici secundo capite, & alibi venire sacrificium farreum, quod fuerit typus sacrificii eucharistici. Ast rectius profecto sibi consuluissent, si hoc nunquam attulissent in medium. Primo enim nondum euictum est, Minchah fuisse typum sacrificii eucharistici, cum qualiscunque conuenientia inter oblationem & panem eucharisticum, nondum demonstraret illam nihil aliud quam hunc praesignificasse. Accedit vero, quod ad oblationem seu Minchah quoque oleum, thus, adolitio, concrematio, requiratur: quae, quo pacto ad eucharistiam quadrent, ego quidem non video. Praeterea, cum non minus oblatio seu Minchah, quam alia sacrificia, ad praesignificantia generatim quaevis sacrificia spiritualia adhibeantur, vt vel ex Esaiæ capite LXVI, 20. patet, nulla rursus a destratio, cur in Malachiae oraculo sacrificium missæ designare beat. Sed quod maximum, munus seu oblatio, si accurate cuncta discernas, non fuit sacrificium. Ad eoque nec missa sacrificium erit: cum quod in typo seu imagine nullatenus deprehenditur, nec in antitypo, seu reper imaginem repraesentata adesse queat: saltem tum ex typo seu imagine nullo pacto hoc intelligi atque demonstrari potest. Non autem oblationem fuisse sacrificium, cum per se pateat, accurate tamen hoc edifferit FRIDERICVS SPANHEMIUS: *** *Gratis, inquit, etiam dictum, Mincham fuisse sacrificium: oblatio enim fuit, sacrificium stricte & pro-*

* comment. ad b. l. ** comment. ad b. l. *** dubior. euangel. p. III.
p. 838. seqq.

prie dictum non item; illa enim rerum inanimatarum fuit, istud animatarum. Sic gratis dictum, Mincham eucharistiae sacrificium repraesentasse, quale in ecclesia Romana celebratur. Mincha enim erat oblatio rei inanimatae, sacrificium missaticum censetur esse oblatio rei animatae. Mincha erat oblatio eucharistica; missaticum sacrificium censetur oblatio propitiatoria. Mincha ab omnibus offerebatur, sacrificium missaticum non item &c.

§. XLIII. Speciem, sed inanem, habet, quod porrō Romanenses pro causa sua adferunt, vaticinari Malachiam de oblatione munda, & quidem quae vbiuis gentium offerenda sit: quod de alio, quam missatico sacrificio, capi nequeat.* Namque sacrificia, quae dicuntur spiritualia, sua, ut in confessio sit, laborare imperfectione, nec sanctum quenquam ac immaculatum, sine omni labe aut macula dici posse: solam itaque eucharistiam sacrificii seu oblationis mundae nomen, titulumque, promereri. Nec esse in novo testamento ullum sacrificium, quod vbiuis gentium Deo offeratur, praeter missaticum, seu eucharisticum. Quibus ROBERTVS BELLARMINVS, **cardinalis, addit, agi hic de sacrificio nouo, sacrificia autem spiritualia etiam in veteri testamento fuisse visitata. Sed sunt haec omnia eiusmodi, ut facili negotio dilui atque conuelli queant. Namque ad primum quod attinet, mundam vocat oblationem noui testamenti comparate: opponens hanc oblationem, non tantum sacrificiis externis, sed & vitiis prauisque moribus sacerdotum Israëliticorum, qui avaritia sua & aliis cupiditatibus prauis, cuncta polluebant & contaminabant.

Hoc

* ita Cornelius a Lapide ad b. l. & reliqui fere Romanensis ecclesiæ propagatores, ** lib. l. de Missa cap. X;

Hoc pacto munda profecto dici poterat illorum oblatio,
 qui diuino spiritu, largius in nouo testamento super o-
 mnem carnem effundendo, ducti, se ipsos exhibituri es-
 sent *γενιαν ζωσαν, αγιαν, εναρξεσον την ζεων*, Rom. XI. 1. Et li-
 cet sacrificia spiritualia imperfecta sint, grata tamen Deo
 sunt, & munda coram illo censemur, quia offeruntur ab
 iis, quorum corda fide purgata sunt, Actor. XV. 9. idque
 per Christum, in quo omnia munda sunt i. Petr. II. 3. Ebr.
 XIII. 16. Vbiuis autem gentium, quod hoc sacrificium
 oblatum iri Malachias praedicit, eiusmodi profecto est, vt
 ad preces, laudesq; diuinis, & gratiarum actiones, longe re-
 citius referatur, quam ad sacrificium missae. Non enim ae-
 que facile vbiique celebratur eucharistia, quam preces lau-
 desque Deo dicuntur, conf. Io. IV. 22. I. Timoth. II. 8. No-
 ua denique rectissime dicitur haec oblatio, de qua vaticina-
 tur Malachias. Fuerunt vtique & in veteri testamento sa-
 crificia spiritualia: sed vti ipsum illud fedus seu testamen-
 tum, quod veteri successit, recte nouum dicitur Jerem. XXXI.
 v. 31. seqq. ita eadem plane ratione oblatio quoque noua di-
 ci potest. Et sane cum abundantior Spiritus sancti gratia
 in nouo federe constitutis contigerit, longeque clariori luce
 collustrati sint, vberioresque adeo fructus ab illis expe-
 ctentur, mirari profecto nemo debet, cur noua illorum sa-
 crificia spiritualia, iure meritoque dicantur.

§. XLIV. Tandem cum reliquis omnibus se destitu-
 tos praesidiis vident, ad patrum auctoritatem recurrunt,
 qui hac ratione Malachiae illud oraculum explicitent. Et
 hoc quoque cum ceteris, adprobante doctissimo GRABIO,
 facit FEVARDENTIVS. Nos vero, vt patrum iure pluris fa-
 cimus auctoritatem, ita tantam eam esse, vt ceu norma in-

terpretandi diuinas litteras ea sit sequenda, prorsus abnui-
mus. Si res ipsa, & bona interpretationis leges hanc es-
se scripturae sacrae mentem nos condoceant, frustra erit,
qui patrum nobis opposuerit decreta. Nec tamen ideo
concedimus, patres, ecclesiaeque doctores veteres, id di-
cere, quod cupiunt Romanenses. Accuratius patrum ef-
fata considerantes, facile animadventent, non de sacrifi-
cio missae, sed de sacrificiis spiritualibus, & eos, haec Mala-
chiae verba capere: id quod iam pridem viris eruditis ob-
seruatum est. * De IRENAEO, de quo nobis praecipue ser-
mo est, & nos iam probauimus, de spiritualibus sacrificiis,
de quibus in toto hocce capite sermonem instituit, eum
liocce Malachiae effatum capere. Ex reliquis EVSEBIVM ad-
dimus, ut vel ex hoc exemplo pateat, quid de ceteris sit sen-
tiendum. Cum enim Malachiae oraculum attulisset, subi-
cit: ** Quod enim in omni loco dicit, incensum & sacrificium of-
ferri Deo, quid aliud significat, nisi non Hierosolymis, neq; defi-
nite in hoc aut illo loco id futurū? sed in omni regione & in omni-
bus gentibus, quae quidem & ORATIONIS (δι ευγενίας) incensum &
sacrificium, quod mundum dictum est, non per errores, sed per
PIAS ACTIONES (δι εγγύων ευτυχίων) summo Deo essent obla-
tioꝝ? Capite vero decimo, *** in quo ex instituto differit:
qua de causa non ita nobis, quemadmodum priscaꝝ incendere &
sacrificare Deo terrestria permisum est: cum itidem hoc Ma-
lachiae effatum attulisset, addit: Sacrificamus igitur Deo
altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum & horro-
rem afferens & sacrosanctum sacrificium: sacrificamus nono
more, secundum nouum testamentum, hostiam mundam. At
sacrificare

* conf. Ioannes Crocius Anti-Bcani lib. II. p. 380. & scq. ** demon
Irat. euangel. lib. I. cap. VI. p. m. 19. *** p. m. 40.

sacrificium Deo, spiritus contritus dictus est: cor igitur contritum & humiliatum Deus non despiciet. Iamque etiam incendimus propheticum illum odorem in omni loco, & offerimus ei bene olement fructum omni virtute abundantis theologiae, hoc ipsum orationibus ad eum directis facientes. Hic equidem per τὸ ἐνθεόν, καὶ τεμένες θῦμα, Deo plenum, & horrorem afferens, & sacrosanctum sacrificium, innuere videtur eucharistiam, sed eo saltē sensu, prout ad reliqua sacrificia Christianorum, & hoc recte refertur. Namque ob preces & gratiarum actiones, quibus eucharistia celebratur, & vnde hocce quoque nomen retulit, posse eam sacrificium vocari, iam supra obseruauimus. EVSEBIVS autem cum sacrificio laudis, statim coniungit sacrificium hocce Deo plenum, & horrorem afferens, & tum reliqua subiungit. Et haec ipsa sacrificia spiritualia a Malachia vate praesignificata indicat. Par ratione de reliquis patribus idem probari posset, de spiritualibus saltē sacrificiis eos Malachiae vaticinium intellexisse: sed superuacuum duco ea repetere, quae iampridem obseruata & dilucide explícata sunt ab aliis.

§. XLV. Id tamen praetermittendum nobis non est, quod FEVARDENTIVS, GRABIO probatus, ipsos in sub-sidium vocet iudeos, ne pulchram occasionem impietatem plusquam iudaicam, nobis exprobrandi, amitteret. Mirum, iudeos vaticinium Malachiae de sacrificio missatico interpretari! Sed nisi me omnia fallunt, insigniter aut se ipsum, aut alios decipit FEVARDENTIVS. Ecquis crederet iudeos eucharistiam aut quaerere in scriptura sacra, aut inuenire? Sed hoc credo, sibi vult. Potuit forte iudeus de sacrificio proprie sic dicto hoc oraculum capere. Sed si sacrificium proprie sic dictum intellexit, num statim missa,

ticum? Et sunt sane alii ex iudeis, qui sacrificium propri sic dictum, & oblationem externam intelligunt, minime tamen missam pontificiam, qui in magnas simul se coniiciunt difficultates. Namque ABEN ESRA & KIMCHIVS, * ut hinc se expediant, & explicit, quo pacto gentes per orbem vniuersum sacrificium offerre dicantur, id conditionate intellectum cupiunt, oblaturas scilicet eas mundū Deo sacrificium, si hoc illis praeciperetur injungereturue. Quo ipso iure tum aliis, tum ABARBANELI ** vapulant, qui tamen melicra non affert. Quicquid huius sit: externa sacrificia intelligi non posse, adeo manifestum est, vt & ex iudeorum interpretibus clarissimi, de spiritualibus hoc interpretari nulli dubitent. Omnia instar esse poteritione THAN VZIELIDES, qui Malachiae ita παραφερεις verba: וְכָל־עַד־רְאֵתִי עֲבָרֵן רְעוּתִי אַנְךָ אֶקְבָּל צְלָחָתְךָ שְׁמֵי רְבִנִּי מְרֻחָשׁ עַל וּרְכִין וְלֹרְכִין פְּקוּדָנוּ וְכֵן קְרֻמִּי אָרוּ רְבָּבָה שְׁמֵי בָּנִי עַמְפִינָה אָפָר גַּג אַבָּאוֹתָה. In omni tempore, quo vos feceritis voluntatem meam, ego acceptabo precationes vestras: Et nomen meum sanctificabitur per vos: Et precatiores vestrae erunt sicut holocaustum purum, coram me, quoniam magnum est nomen meum inter populos, dicit dominus exercituum. Ita ergo si iudeorum, in re tanti momenti standum auctoritate, nec nobisarma derunt, quibus dubiam reddamus Romanensibus palmam.

S. XLVI. Sed reuertimur ad IRENAEVM, qui capite sequenti, *** suum vterius prosequitur institutum. Quod est autem aliud nomen, inquit, quod in gentibus glorificatur, quam quod est domini nostri, per quem glorificatur pater, Et glorificatur homo? Et quoniam proprius filius eius est, Et ab eo factus

* vierque ad b. l. ** ad b. l. *** XXXIII, *De rebus suis*

*E*tus est homo, suum illud vocat. Quemadmodum si quis Rex ipse filii sui pingat imaginem, iuste suam illam dicit imaginem secundum utrumque: quoniam & filii eius est, & quoniam ipse fecit eam: sic & Iesu Christi nomen, quod per universum mundum glorificatur in ecclesia, suum esse confitetur pater, & quoniam filii eius est, & quoniam ipse scribens id, ad salutem reddit hominum. Displicent haec verba GRABIO, quia cum sacrificio missatico Romanae ecclesiae parum conueniant. Hinc, longius, inquit, petitavideatur hanc Irenaci explicatio de nomine Dei patris, id est, nomine Christi filii eius; insuper dubium mouet, quomodo sacrificium eucharisticum, quod proprie Deo patri per Christum offerit ecclesia, ipsi Christo offerri dicatur. Sed discere hinc potuisse vir doctus, simens non laeva fuisse, IRENAEO nunquam in mentem venisse, Malachiae oraculum de sacrificio quodam missatico explicare. Vtique ita res se habet. Cum sacrificia spiritualia ipsi Christo quoque offerenda hic statuat IRENAEVS, id que praedixisse Malachiam, qui loqui de sacrificio missae potuit, in quo ipse Christus offerri a Romanensibus creditur? Nihil aliud regeri potest, quam quod regessit GRABIVS, explicationem IRENAEI longius petitam. Mihi vero non reiicienda plane videtur, cum omnino per Christum, & doctrinam de Christo, per vniuersum orbem propagata, glorificetur nomen patris. Quidquid vero huius sit: hoc saltem manifestum est, non posse IRENAEVUM de sacrificio missae loqui.

¶. XLVII. Pergit IRENAEVS: Quoniam ergo nomen filii proprium patris est & in Deo omnipotente per Iesum Christum offerit ecclesia, bene ait secundum utraque: & in omni loco incensum offeritur nomini meo, & sacrificium purum. In-

censa autem Iohannes in apocalysi, orationes esse ait sanctorum.
 Quibus verbis omne dubium tollit IRENAEV. Orationes enim sanctorum, sacrificia ista & incensa esse, de quibus verba faciat, inde constat. Itane ergo de sacrificio missatico hunc locum interpretatur? Quo pacto autem & ipsi Christo & per Christum sacrificia spiritualia offeramus, ad eum per eum preces fundamus, cum manifestum sit, recte quoq; sibi constat IRENAEV. Minime autem, si de sacrificio missatico caperetur. Interim FEARDENTIVS pariter ac GRABIVS loca quaedam patrum hic congerunt, quae misericordiam nostram confirmant sententiam. Ille CYPRIANI* hoc assertum effat: *Sacerdos in altari voice Christi fungitur, & sacrificium verum & plenum Deo patri in passionis unigeniti sui offert recordationem.* Nihil equidem eiusmodi hic dixerat IRENAEV: adeoque, quid hoc dicto sibi velit, non video. Nec tamen CYPRIANVS dicit, quod Romanenses volunt. Vocat eucharistiam sacrificium, sed commemorationum, quo Christus, sed improprie, in recordationem mortis & passionis suae, offerri dicitur. Nec aliud AVGVSTINVS* dicit: *Christus sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio.* Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit ecclesia sacrificium; cum ipsis ipse sit caput, & ipsis capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam fuerit offerri. Eiusdemque commatis & CHRYSOSTOMI & AMBRO-
 SII, quae itidem assert, sunt testimonia. ORIGENIS autem effatum, quod GRABIVS adiecit, hoc saltem nos condocet, idque luculenter, preces & reliqua sacrificia spiritualia, per Christum dominum nostrum, offerenda esse: qua de re nulla est controversia,

§.XLVIII.

*[¶], LXVIII.

§. XLVIII. Denique & in capite sequenti, trigesimo quarto, quaedam occurunt, silentio non prouersus anobis praetermittenda. De sacrificiis enim, & oblationibus, & qui sunt, qui in veritate offerunt, ibi differit IRENAEV^S. Igitur, inquit, ecclesiae oblatio, quam dominus docuit offerri in uniuerso mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei: non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert, glorificatur ipse in eo, quod offert. si acceptetur munus eius. Quod de oblationibus veteris ecclesie, in eucharistie celebratione receptis, intelligendum esse, ex superdictis palam est. Quo ipso tamen non satis sibi constare videtur IRENAEV^S, qui de sacrificiis spiritualibus antea locutus erat, deque iis etiam accepérat vaticinum Malachiae, quod nunc contra ad oblationes istas eucharisticas trahere videtur. Ast bene cuncta se habent, si obseruemus, & ipsam eucharistiam, ratione precum & gratiarum actionis, quae eam comitari solet, & oblationes quoque istas, quas cum eucharistia coniungere moris erat, suum quoque locum inter sacrificia spiritualia promereri. Nec seiungit istas oblationes IRENAEV^S, cum Malachiae oraculum de spiritualibus sacrificiis interpretatur: nec solas intellectas cupit, cum has denuo seorsim commemorat. Ipsam interim eucharistiam ab IRENAEO intelligi puto, quando dicit mandato domini eam offerri in uniuerso mundo, quam sacrificii, sed improprie sic dicti nomine subinde venire, non abnuimus, saltem non accurate oblationem, quae moris saltimi recepti & consuetudinis erat, ab ipsa eucharistia, quam Christus ipse instituit, eum discreuisse, arbitramur. Libenter tanien admittimus, si recte capiantur, quae FEVARDENTIV^S ad haec verba: quam dominus docuit

it

it offerri, adnotauit: obserua, quam frequenter, graviter,
 & nominatim repeat, christum dominum auctorem & insi-
 tutorem esse sacrificii eucharistiae. Nimirum longe verissimum
 est, Christum dominum, auctorem & institutorem sacrae eu-
 charistiae esse: ast hanc ut sacrificium proprie sic dictum ab
 eo institutam esse, id vero est, quod frustra asseritur. Sic
 &, quando I R E N A E V S, puri sacrificii, mentionem in-
 iicit, GRABIVS, MEDVM laudans, respectu Christi hoc ita dici
 existimat, cuius immaculatum corpus, & mundissimus san-
 guis, mystice in sacro altari repraesentetur. Itidem non pror-
 fusa male: cum mystica repraesentatio sacrificii a Christo in
 cruce oblati, ad eius commemorationem, admitti queat:
 quae tamen diuersa rursus erit a sacrificio missatico pro-
 prie sic dicto, quod comminiscuntur Romanenses. Ast
 huius sui asserti immemor vir doctus, mox iterum ad
 sacrificium proprie sic dictum dilabi videtur. I R E-
 NAEV S namque haec subiicit: Per munus enim erga Regem,
 & honos & affectio ostenditur: quod in omni simplicitate & in-
 nocentia dominus volens nos offerre, praedicauit dicens: cum
 igitur offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quo-
 niam frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte munus
 tuum ante altare, & vade primum, reconciliare fratri tuo,
 tunc reuersus offeres munus tuum. FEARDENTIVS obseruat,
 hunc euangelii locum de eucharistiae oblatione cum IRE-
 NAEO explicare CLEMENTEM ROMANVM, OPTATVM MILEVI-
 TANVM, atq; CYRILLVM HIEROSOLYMITANVM. Addit GRABIVS,
 ex istis, aliisque auctoribus constare, morem fuisse
 veteris ecclesiae, vt diaconi hoc ipso seruatoris oraculo ad
 sacram eucharistiam accessuros, hortarentur, ne cum ini-
 micitia vel discordia ad altare venirent. Et sane, inquit, cum
 hoc

hoc continetur eximio isto sermone, quo nouam legem, aut ve-
 terem renouatam, fidelibus suis obseruandam promulgavit,
 non tam Mosaicas oblationes cum altari & templo breui abolen-
 das, sed altare ac sacrificium ecclesiae iamiam instituendum
 praecepue respexisse, ac tale supposuisse videtur: quale etiam
 in christianorum coetibus fuisse, non solum Irenaeus & anti-
 quior Ignatius, sed & ipse apostolus testatur, Ebr. XIII. 10.
 scribens: Habemus altare, ex quo edendi non habent potesta-
 tem, qui tabernaculo deseruunt. Extra Iudeorum itaque
 templum in ecclesia erat θυσιαστήριον altare, & per consequens
 etiam θυσία sacrificium, non solum rationale laudis & precum,
 sed & materiale panis & vini, quod verbo edendi clare signifi-
 cat apostolus. Quae tamen rursus sine censura vix praeter-
 mitti possunt. Esto, veteres hoc seruatoris dictum ad eu-
 charistiam accommodasse: quanquam I R E N A E V S de ob-
 lationibus potius loquatur, idque ea ratione, vt facile pa-
 teat, in omni cultu, quem Numini exhibemus, hoc lo-
 cum inuenire: ipsum tamen seruatorem ad eucharistiam
 hoc effato respexisse, nulla ratione comprobari potest. Ex
 sermonis enim nexus patet, mentem seruatoris fuisse, ad
 pacem & concordiam adhortari homines, eosque com-
 monefacere, ne, nisi animo ab odio atque liuore bene pur-
 gato, ad colendum rite Numen accederent: quod quidem,
 ea cultus diuini ratione, quae isto tempore praecepua erat,
 sacrificiorum videlicet oblatione, significauit. Longissi-
 me itaque a scopo aberrat optimus G R A B I V S dum hinc &
 altare, sacrificium noui testamenti, exculpere annuitur,
 Nec felicius ad Ebraeor. XIII. 10. prouocat. Per θυσιαστή-
 ριον enim ibi συνεδροχημένη victima, h. e. ipse Christus intelli-
 gitur, ex quo edendi non habent facultatem, qui tabernaculo

deferunt: h. e. cuius, bonorumque coelestium ab eo nobis partorum, non possunt fieri participes, qui veteris testamenti vnpbra ita adhuc delectantur, vt corpus per eam repraesentatum, repudient. Hanc apostoli mentem esse, & res ipsa docet, & clarissimi interpretes, pluribus confirmant.

§. XLIX. Atque haec quidem, quae huc vsque disceptata sunt, speciminis instar esse possunt, ex quo constet, quo iure tanta fiducia Romanenses, & cum iis GRABIVS noster ad patrum auctoritatem, in afferendo missae sacrificio, prouocent. Reliqua, quae hinc inde porro insperat vir doctissimus, accuratius persequi, hoc quidem esset, in re non obscura, operam ponere minime necessariam. Priusquam tamen finem imponamus huic dissertationi, summatim nunc ea, quae verbis, quibus praecipue missatici sacrificii causam egit, opponenda censeraus, complecti iuuat. Initio itaque suam vir doctus sententiam de sacrificio missae paulo obscurius propofuisse videtur. *Certum enim est*, inquit, *Irenaeum, &c.* eucharistiam pronuae legis sacrificio habuisse, & panem atq; vinum in altari Deo patri obtulisse: ante consecrationem quidem velut primitias creaturarum, in recognitionem supremi eius super uniuersa dominii, post consecrationem vero, ut mysticum corpus ac sanguinem Christi, ad repraesentandam cruentam personalis eius corporis ac sanguinis in cruce oblationem, & beneficia mortis eius omnibus, pro quibus offerretur, impetranda. Cum enim mystici corporis & sanguinis, mentionem faciat, idque personalis corporis ac sanguinis, Christi, in cruce oblationem repraesentasse, facile in eam quis ingredi posset sententiam, clarissimum virum, sacrificium impropriè dicere.

etum

Etum intelligere. Sed haec si illi mens sedisset, non opus fuisset, tanto adparatu aut impugnare sententiam Protestantium, aut Romanensium defendere, cum hac in re facile inter se conueniant. Praeterea, cum in ratione huius sacrificii maximopere inter se dissentiant Romanenses, mirum non est, quod & doctissimus G R A B I V S , a quibusdam illo- rum, in modo huius sacrificii explicando, in diuersum abeat. Consentit tamen in eo, quod caput causae est, hanc corporis & sanguinis Christi oblationem, impetrare illis, pro quibus offertur, beneficia mortis Christi.

S. L. Iam ergo, cum eadem clarissimi viri de sacrificio missae, sententia sit, quae Romanae est ecclesiae, omni eam prorsus destitui fundamento, asserere nulli dubitamus. Hanc enim aut IRENAEI, aut CLEMENTIS ROMANI, aut veteris ecclesiae, particularis aut vniuersali fuisse sententiam, frustra asserit; & secus se rem habere, probatum est a nobis luculenter. Et sic iactitata etiam ab eo traditio, sua sponte concidit, possetque, si vellet, vir doctissimus, vel hoc exemplo discere, quam lubrico prorsus fundamento, Romanensium ista nitatur traditio. Minimeque ferenda est eius vox, quando dicit, tenendam esse hanc doctrinam, licet nullum pro ea dictum ex ipsis prophetarum & apostolorum scriptis adduci posset. Hoc enim profecto est, inbere, ut viam tenebricosam & lubricam ingrediamur, repudiato clarissimo lumine, in qua vbi vel pedem figere liceat, nullum deprehendamus vestigium. Meliorem mentem & viro docto, & omnibus, quibus salus sua curae cordique est, adprecamur, ut missis ambagibus, regia illa fallere que nescia, verbi diuini via, incendant; hanc regulam, hanc normam, & vitae & doctrinae vnice sequantur.

tur, quae sola extra periculum nos collocat, si modo ea recte vtamur. Et hanc sane, si doctissimus vir, cuius singularia in rem litterariam merita iure pluris facimus, sequi voluisset nunquam in istos se conieceret errores, qui iam pridem explosi sunt a sanioribus: nunquam MARTINI LUTHERI eam doctrinam, errorem vocasset, quae foedissima superstitione reiecta, veritatem clarissimam, ecclesiae redidit. Votum iraque, vt ecclesiae Protestantium postminio, quae recte a maioribus illorum reiecta atque damnata sunt, reuocent, vti inconsultum est, ita, cum non errore, non ritibus superstitionis Deus colatur, nos potius optamus, vt omnes ac singuli tandem meliora edocti, vitae innocentia, morumque puritate, & vtriusque genetrici vera in Christum fide, ad diuinorum litterarum praescriptum,

Deum colant & venerentur, & ita summum diuinae
maiestati honorem debite reddant.

S. D. G.



AB 153825



3

56,

VD 18

VD 17



IO. FR.
SS.
PRIMIT
IN Q
COMMENTA¹⁵
DE FALSO
DE VER
NEX
A
DE ORIGIN
QVOD EI
ROM
cor
10. E

